


He. 58-61.

Vol. 4 (VII et VIII)

75
Disputationes

4 vols.

He 61



a

DISPUTATIO INAUGVRALIS
DE
BANNO IMPERIALI.

Quam He 61
SS. Trinitate clementer annuente
*Decreto & auctoritate Nobilissimi & Amplissimi Jurisconsultorum Ordinis,
in celeberrima Rauracorum
Academia*

Pro consequendis summis in UTROQ. JURE
honoribus & privilegiis
Publicè discutiendam proponit

GEORGIUS à BUGGENUM
Oldenborgensis

Ad diem 24. Octobr. Loco & horis solitis.



Anno
M D C X X I.

A

EX VVATTO INAVOKRALLS
DE
BANNON IMPR
KALIA

22. Tinnere Lennereannone
Digne & subditate Nob. liffine & dm
piffine fenne fenne fenne
in fenne fenne fenne

GEORGIUS A BNO CENNA



MDCXXI





THESIS I.

RORRENDUM etsi primâ fronte appareat, Ethnicamq; sapere videatur immanitatem, pœnæ illud genus, quod in Imperio Romano BANNUM appellatur, seu proscripio, quo homini nô solum iis, quæ in usum illius natura produxit, aquâ nempe & igni, sine quibus ille nec orrum capere, nec sustentari potest, teste Buda. in post. not. ad Pand. tit. de pœn. l. 2. Myns. §. cum autem. Inst. quib. mod. parr. potest. solvit. interdicitur, sed & vita, fortunæq; illius omnibus & singulis lancinandæ, proque lubitu diripiendæ exponuntur. altiùs tamen aliquantò perpensâ pravitare hominum, perversitateque, morum corruptelis, vitæ labe, factis indies contingentibus enormibus, & gravissimis, quibus totus mundus scater, sceleribus, Majestatem Imperatoriam, cujus decet solertiam, ita Rempublicam gubernare, & subjectorum commoda investigare, ut regni utilitas incorrupta persistat, & singulorum status jugiter serveretur illæsus, tit. de prohib. Feud. alien. per Frid. non sine causa justissima legem, licet duram, tulisse fatebimur, ne videlicet inferiores, violentiæ & conatibus superiorum resistere non valentes, ulteriùs prædæ subjacerent, legumque contemptu increbescerent, Celsitudo & Eminentia Imperii scedè evilesceat. Remotâ enim justitiâ quid sunt regna? nisi magna atrocitas, & nî parata sint erroribus flagra, blasphemis forcipes, perjuris equulei, hæreticis ignis, homicidis gladii, furibus patibula, seditiosis carcer, aliæque pœnæ, plures in civitate improbi & fures, quàm in sylvis bestię forrent, non minùs scitè quàm eleganter inquit Auth. Horolog. Princip. lib. 3. c. 1. fol. 442.

II. Ex antiqua aliqua Historia bannum originem traxisse putat Gail. 2. de Pace Publ. c. 1. vel ab instituto Romanorum, illi enim, cum carnificinam in malos homines & Reipublicæ peccates exercere abominarentur, Elementorum ad vitam maximè

necessariorum usu illos privarunt, quod & hodiè adhuc fieri, ubi nempe in viribus prævalentes facinerosos, aut judiciorum contemptores aliter animadvertere non licet, usus probat. Prisca autem illa bannimenta ab hodierno longè diversâ fuisse, nullus ambigo: cujus, cùm apud Nell. *tr. de bannitis*. Gambin. Hyppol. de Mars. & alios infinitæ prostent rationes, ulteriori demonstrationi libens supersedeo. Primam autem banni, de quo principaliter sum acturus, sententiam promulgatam esse Francofurti ad Mœnum Anno 1496. Imperii Monarchâ existente Maximiliano I. attestatur *ex Barth. & Seiler. Gail. d. c. sub fin.*

III. Etymologiam vocis indagando, varias ejusdè homonymias congeffit Chassan. *in consuet. Burg. fol. 363. n. 5.* Tholosan. *syntagm. lib. 3. c. 15. 6. c. 19.* Hieronym. *de Cævall. in specul. aur. comm. opin. cont. comm. tom. 1. quæst. 604.* Nell. *tr. suo p. 1. 2. temp.* Illa tamen, quam Sichard. *in l. 1. n. 14. C. de hered. instit.* ponit, plerisque arridet, quòd nempe à Germanis (inprimis verò Franconibus) usitatâ voce Baan/publicam viam, vel limites alicujus territorii denotante, deriveretur, hinc bannitis banno, i. e. viâ seu stradâ publicâ, aliâs communi omnibus, uti non liceat, *daß ihnen des Heiligen Reichs Baan vnd Strassen zu gebrauchen verboten sey.* Usus etiam recepit vocem Acht/ quasi *daß man das Reich groß achte/* hinc banniti appellantur *Echter/* à Græco *ἐχθρός*, i. e. inimicus, quoniam illi post denunciationem pro hostibus Imperii derestabilibus habentur, *Wehner. lit. a.* & dividitur in *die Acht vnd Oberacht/* quod idem est, ac reiteratum bannû. Hujus meminit quoque Jus Saxon. *Landtr. artic. 17. n. 3.* quod tamen simul distinguere videtur voculas has duas, Baan vnd Acht/*c. 27. §. 3.* ubi de conventu ad Electionem novi Imperatoris, indicèdo tradit: *So sollen sie ein gespräch gebieten zu Francofurt/dises soll gebieten der Bischoff zu Mainz bey dem Baan/vnd der Pfalzgraff bey Rhein bey der Acht/* ut ita vox Baan propriè denotare videatur excómmunicationem, vocabulû Acht proscriptioem. *Buxtorf. dissert. ad aur. Bull. th. 17.* Sed quoniam promiscuus illarum usus obvius sit in libris Jctorum, scrupulari non liber. Sæpiùs etiam usurparum legitur vocabulû BANNI pro finibus sylvarum, vulgò *Wildbahn/* cùm videlicet Regali venan-

venandi gaudentes, succisis lignis cingunt sylvam venatoriam in capturam ferarum, unde jura foresti, *Foestliche Gericht-oder Obrigkeit*. & qui feram istic loci occidit, regium bannum, h. e. 60. solidos nomine multæ exsolvere tenerur. *Coler. de process. execut. in proëm. n. 70. Zaf. conf. 6. n. 3.*

IV. Pro ratione effectuum diversorum, diversas dari quoque posse banni definitiones, innuit *Nell. p. 1. 2. temp.* unam præ cæteris commendans, cum nempe dicatur judicialis sententia lata in absentem contumacem, virtute statuti. Dissentiens *Clar. §. fin. quest. 71.* ait, esse pœnam, tam præsentibus delinquentibus, quàm contumacibus absentibus irrogandam, eamque quandoque perpetuam, quandoque ad tempus, sæpius arbitrariam. Sed cum ejus farinae non pauca in medium produci possent, quæ tamen potiùs relegationem, quàm bannum ipsum respicere videntur, non diutius illis inhærentes, arripimus illam, quam constitutionibus Imperii conformem, circumferunt moderni: Quod scilicet Bannum Imperii sit judicialis censura, quâ violatoribus Pacis Publicæ, aquâ & igni interdicitur, ita ut à nemine in clientelam, fidem & amicitiam recipi, tam verò in rebus, quàm in persona ab omnibus impunè offendi queant, *Ordin. p. 2. tit. 9.* Et licet eandem improbet *Caball. resolut. crim. cent. 2. c. 197. in fin.* iniquitatem redolere ratus sententiam, quæ duplicem reo pro uno & eodem delicto injungat pœnam, corporis videlicet afflictivam, & bonorum privativam, maximè cum utraque per se satis judicetur aspera, tamen cum morem judicandi talem etiam vetustati approbatum, ut videlicet pro ratione & atrocitate delicti, certo aliquo loco quis exulare jussus sit, cujus simul bona annotarentur, juris scita comprobent, quæ insuper suadentibus circumstantiis pœnas aggravare judici permittunt, *l. servos. §. in fin. C. ad L. Jul. de vi publ. l. ult. C. ne sac. Bapt. iter. Tiraquell. de pœn. temp. in præfat. n. 2.* hac instantiâ moti ab illa non recedimus.

V. Triplicis meminit banni *Wehner. & Sichard. præcitatis locis*, 1. Imperatoris seu Camerae. 2. Ubi quis in dicastrio Rotvilenfi; 3. in judicio Westphalico proscribitur. Prius toti terrarum orbi est terribile, *arg. l. 9. ad L. Rhod. de jact.* Posteriora etiamsi nomine Imperatoris publicentur, & Imperii judicium

utrumque appelleretur, non tamen ultra limites jurisdictionis præscriptos se extendunt effectus illorum, *dd. ll.* Sic quoque in jure Saxon. fit mentio der Reichs Acht/ sed cum nec illud extra territorium Electoris liget, impropriam esse locutionem statuo.

VI. Sed cum Regalibus Imperii non immeritò annumeretur Bannisatio, prout singulis in locis, ubi de ea tractatur, verba adjecta reperiuntur isthæc: So bald die durch uns/ oder in vnserm abwesen/ dem Römischen König/ oder an vnserm Keyserlichen Cammergericht in die Acht gefallen vnder declarirt seind. Cæteris Imperii Statibus, de reservatis superioris non participantibus, num concedi possit sine præjudicio, subdubitarunt nonnulli? Strictè usurpato vocabulo, cum negatibus facerem, *arg. l. non est singulis. de R. I. 2.* Nunquam quicquam legimus, ullum Imperii membrum eam potestatem, quæ in signum præminentia Imperat. concessa est, usurpare conatum esse; contrarium potius laudabili exemplo demonstrat Sereniis. Elect. Brandenburg., qui Duci Pomeraniæ convenienti aliquem super facto contra P. P. currente, petenti que ut jam probatis omnibus requisitis & qualitatibus abundè, banno Imperii eundem feriret, respondisse fertur: Non sibi tale quid licere, sed Imperatoris esse proprium, debito igitur loco si de sibi illata vi publica conquereretur, voti mox compotem futurum, nec tamen se fines jurisdictionis suæ interim transgressurum. *Consultat. Saxon. lib. 4. q. 125.* Usu autem & consuetudine cum inductum, tacitoq; Imperatoris consensu confirmatum sit, ut quilibet Princeps in sua ditione tantum possit, quantum Imperator in toto orbe, *Wes. in w. Cod. lib. 1. tit. 14. n. 3. Corset. de potest. Reg. q. 45. Castrens. conf. 196. Barbat. conf. 34.* illud simul largitum illis est, ut nempe quemadmodum Imperator refractarios & inobedientes totius Imperii beneficiis privat hac sua censura, ita illi subditos, territorio suo exulare jubètes, omnibus simul juribus & privilegiis aliis competentibus iis interdicut, nec tamen his, quæ à jure communi proficiuntur, vel sunt extra provinciam, inclusis, *arg. l. relegatorum. 7. §. interdicere. de interd. & releg. l. fin. de offic. præfect. urb.* Abusivè igitur BANNI vocabulum tunc sumi consonans *Dd.* schola ait, cum saltèm sit executio pœnarum legibus seu

con-

constitutionibus præscriptarum. *Modest. Pistor. illustr. quæst. 26. Gail. 1. de P. P. c. 9. n. 11. & 2. c. 1. n. 27. Ampliſſ. Dn. Rosenthal. de Feud. c. 10. conclus. 35. n. 72. Ruland. de commiss. p. 1. lib. 3. c. 11. Contrarium multis defendere annitur Moller. p. 4. const. 13. n. 5. & seq. De Civitatibus Imperialibus, si nempe superiorem non recognoscentes æqualem habeant jurisdictionem atque Imperium, (die hohe Landes Obrigkeit) cum ceteris Imperii Statibus sublimioribus, idem erit iudicium. De eo, num Imperatore mortuo, tempore interregni, banni pœnam Camera infligere possit, tempestatem moverunt nonnulli? Nos affirm. cum Buxtorff. Thom. Michaël. Gail. & aliis, maximè cum pugnet pro illis *Ord. Cam. p. 2. tit. 35.**

VII. Tria bannitorū genera facit *Alexand. vol. 2. const. 116. n. 6.* inquiens: 1. Banniri aliquos ob delictum cum publicatione bonorum, nec bellum iis simul indici, licet perdant omnia jura loci unde pelluntur, & libera fiat illorum offensio: hosq; deportatis asimilare studet, *per l. si victum. de Re jud. l. si in metallum. de his, qua pro non script. l. quidam sunt servi. de pœn.* 2. Aliis bellum indici ultra publicationem bonorum, illosq; transfugas aliàs dictos, jacturam pari bonorum, & jurium civitatis suæ, ejusque hostes effici, *l. 3. §. transfugas. de sicar.* 3. Merè simplices nuncupat, qui loco saltè arceantur, salvâ interim manente substantiâ illorum, nisi aliter in sentètia ex certa causa expressum sit, qui relegatis propiùs accedunt. *l. relegatorum. §. ad tempus. de interd. & releg. Auth. bona damnatorum. C. de bon. damn.* Ex his multas factorū species fabricarunt alii, pro quibus pœna banni imponi queat, quarum 69. cōportasse *Calicer. in Margar. Fisc. fol. 85.* refert *Clar. d. §. fin. quæst. 71.* Omne verò bannum hodiè emanat, præcedente delicto vel contumaciâ.

IIIX. Olim quidem generaliter omnia delicta, tam publica, quàm privata, capitalia vel non capitalia, etiamsi quandoque pœna alia legibus expressa erat, modò levis aliqua ratio ab illa recedere suadebat, pœnâ banni coërcebantur, quod nos pro tempore ex præscripto certarum legum & constitutionum Imperii singulis factis enormibus suas pœnas applicantium, vel, si gravitas poscit, arbitrio judicis earundem exasperationem committentium, viventes, parùm attendimus. Delictorum antea.

antea mentionatorum quædam in Committendo, quædam Omittendo consistunt. *Roding. J.C.p.1.t.7.*

IX. Secundùm constitutionis P. P. verba, ille delinquit contra eandem, qui sceleratè arma adversùs Imperii membra arripiens, quietem publicam turbat. *Ordin.p.2.t.9. §. So semandr.* Ad hoc autem, ut justè talis pacifragii quis insimuletur, primò requiritur vis publica, quam exercentes, licèt graviter corripiat jus quoque commune, *t. ff. & C. de vi publ.* tamen cùm non omnis vis publica, violatio P. P. statim sit, licèt semper illa vis publicæ nomen contineat, ibidem tradita, huc quadrare non putat *Roding. d.t.7. 2.* Opus est manibus armatis, hominumque coadunatione; nõ enim simul ac quis solus cum armis alium aggreditur, P. P. constitutioni contravenisse statim dicitur: sed etsi armis non utatur cum sociis suis, nihilominùs illum possessione dejiciens, de vi publica tenetur, *per l.3. §. qui armati. ff. unde vi.* Sed hæc fusiùs tractata reperiuntur apud *Gail. Num verò duobus vel tribus auxiliatoribus, talia molienti præsentibus, possit dici facta hominum coadunatio, vid. Gilken. arb. judic. crim. c.2.t.9. 3.* Dolosum animum efflagitat *Constit. in verb. Grevenstich vnd gefährlich:* hujus alii directam petunt probationem & manifestam; alii cùm dolus sit quicquam animo adhærens, nec oculos incurrens, illam, quæ ex facti circumstantiis petita est, sufficere autumat, quippe dilucidam ejus probationem pro impossibili habent, tùm aliàs præsumptiones evidentes seu fortiores sæpè legitimarum probationum vim fortiuntur. *Alciat. Menoch. in comm. de præsumpt. & conject.* Distinguendo tertii inter dolum à delicto separatum, & illum qui adhæret eidem, litem dirimere conantur. Illius evidentem requirunt probationem, cùm alter delicto probato seipsum prodar, veluti si in frangendo P. P. vis major concurrat, *l.1. ad L. Cornel. de fals. l. dolum. C. de dolo.* quibus consentio.

X. Propter contumaciam condemnandi veniunt illi, qui seposito judicis & justitiæ cultu, in judicium citati, se sistere malitiosè recusant, vel legitime cõdemnati judicatum solvere, executorialibusve mandatis parère detrectant. Nec ullum discrimen agnoscit Ordinatio ratione condemnationis seu denunciationis, inter hæc bannimenta, licèt in quibusdam ea differre

differre, cum Gail. c. 6. non diffiteamur, in primis, quòd ob delictum definitiva, ob contumaciam autem lata sententia interlocutoria saltèrò dicatur. Bald. verò in *l. si mora. 9. n. 1. ff. solut. matrim. l. 6. in multis. 25. n. 4. C. de appell.* asserit, nullà lege verificari posse, contumaciam esse delictum, vel ullam habere qualitatè, loco aut tempore cum eo concurrentem, sed quicquam separatum ab illo nominari, per *l. un. si quis jus dicenti non obtemp.* Ubi igitur nihil sit peccatum, ibi pœnam subsequi haud posse concludit. *l. sancimus. C. de pœn. Farinac. tit. de delict. & pœn. q. 17. n. 1.* Etposito, sit delictum, prout elicere satagunt ex *l. contumacia. de Re jud. Hippolyt. de Marf. in repet. l. de unoquoq. n. 201. de Re jud. Glos. ad d. l. un. si quis jus dicent.* non tamen cum enormissimo quovis alio, eandem meruit pœnam & animadversionem, sicquæ nulla apparet proportio transgressionis & pœnæ, (quam cum divinè demandant paginæ, plagarum modum culpæ commensurantes, Deuteron. 25. tùm civilia jura, *Auth. omnes peregrini. C. comm. de success. l. si quid. de offic. procons. Gand. tr. de malef. t. de homicid. & eor. pœn. n. 20. vers. si autem delictum. Caball. resolut. crimin. cent. 1. c. 31. n. 19.*) quando nimirum non saltèrò bonis exuitur contumax, sed & in vitæ demittitur discrimen. Denique corporalis pœna regulariter absenti non adjudicatur. *l. absentem. ff. de pœn. Tiraquell. Prisco igitur more certâ pecuniæ summâ mulctandum illum censet Bertach. in repert. lit. b. c. tua. cum ibi notat. ut lite non contest. l. de atate. §. qui tacuit. de interr. act. Consil. Marp. vol. 2. conf. 28.* Regulariter quoq; majus est delictum in committendo quàm omit-tendo. *Everhard. vol. 2. conf. 17. n. 14.*

XI. His attentâ distinctione inter verum, & præsumptum seu fictum contumacem, (de quo fortè Br. sermo,) regerimus, quòd non ad eò accurata habeatur ratio hîc proprietatis delicti, sed satis sit, intercessisse contemptum Magistratus, quem gravissimas semper comitatum pœnas, ex jure divino, *1. Reg. 3. Canonico, c. 2. ubi Abbas & Felin. X. de majorit. & obed. c. Imp. 1. d. 9. c. qui resistit. n. q. 3.* Civilique relucet, *t. t. si quis jus dic. non obt. in const. qui sint rebell. Henr. V I I. Imperat. Anton. Rosel. tr. de consil. §. 30. n. 4. 6.* Igitur legem etiam duram, quoniam scripta est, servandam ducimus, meritòque, malo nodo malum adaptantes cuneum, Imperii Status, proterviam illorum, qui justitiam, cujus cultu &

respectu posthabito totus hic mundus facile evertitur, flocci facientes, aliis obeffe studuerint, refrenasse asseveramus, cum *Claro lib. 5. sent. §. 1. n. 12.* concludentes, Et si reverà delictum appellari nequeat contumacia, ex accidenti tamen tale fieri.

XII. Quoniam autem veteribus, ut antè dictum, hæc banni cynosura non fuerit incognita, sed in locum deportationis vel aliarum pœnarum successerit, disputationis ferram usque dum inter se traxerunt juris Antistites, quibusnam nostri æquiparentur banniti, deportatis an verò relegatis? Et sanè merito locum sibi vindicat hic tritum illud: Error in principio parvus, facit magnum in fine; quò enim latius manus porriguntur ex erroris radice, eò extensius erratur, cum non tam primò fuisse præsumitur intricata hæc disceptatio, licet Caball. *resol. crim. cent. 3. c. 264.* ob innumerum sibi contrariantium numerum vix certi quid definiti posse, exclamet. Deportationi in desuetudinem abeunti, successisse bannum ex delicto, communi suffragio ferè receptum est, *Gilken. de præscript. p. 3. c. 6. Gædd. de contr. stipul. c. 7. n. 4. Ruland. de commiss. p. 4. lib. 7. c. 1. n. 32. qui plures allegat. Marant. spec. aur. p. 4. distinct. 3. n. 16. in fin. Benedict. de Barz. conf. crimin. divers. conf. 91. Asc. an. Clem. tr. de patria pot. c. ult. n. 24. Jacob. de Aret. in l. amissione. §. qui deficiunt. de cap. minut. per Auth. Item nulla comm. C. de Episc. & Cleric. Boß. in pract. crim. t. de bon. confiscat. n. 69.* cum equè ac olim deportati hodiè banniti priventur beneficiis locorum, unde pelluntur, publicentur bona illorum, (nam quamvis propriè dicta publicatio usu esse desierit, tamen quoniam in bonis eorum cuilibet pro beneplacito grassari permittitur, & sic in effectu licentia hæc cum publicatione conveniat, ad instar illius habetur) *Cacheran. decis. 105. n. 9. Treutl. vol. 1. disp. 3. th. 5. lit. e.*

XIII. Econtrà *Specul. tit. de cess. act. neg.* in nomine, neque in forma & effectu, parilitatem aliquam illorum monstrari posse, asserit, multas simul differentias recensens, cui simpliciter assentire nescimus, licet non parum ipsum juvet *Gilman. in annot. ad Const. crim. Car. V. c. 104.* existimans, quoniam in jure nostro certa pœnæ species, quæ in locum deportationis succedere debeat, nullatenus exprimatur, sed potius iudicis arbitrio & discretioni committatur, pro facti & personarum qualitate aliquam

quam illi surrogare; Logicorum autem sonet axioma: Surrogatum debere sapere naturam, nec plus continere, quam illud, cui surrogatur, bannum nostrum deportationi substitutum dici vix posse; illud enim quin majus quid & asperius sit ipsâ deportatione, vel ex eo liquet, quod olim deportatus libertate & civitate privatus, in insula sibi addicta tutus agebat; bannitorum autem capita toti Imperio hodiè & singulis ejus membris sine loci exceptione sacra fieri quis ibit inficias. Ergo succedentem pœnam rigidiorum illâ, cui successit, futuram, non est dubitandum, quod tamen absurditatem importat. *Marth. decis. tom. 2. tit. bannum. c. 8. Joh. Fab. in §. relegati. I. quib. mod. patr. pot. solv. & alii plures.* Distinguunt Marpurgenses *vol. 2. conf. 28. n. 125.* ex persona bannientis, num videlicet Imperator, vel Princeps, aut Civitas aliqua banno quem ferierit. Priori casu, cum jurium beneficiis in universo Imperio amplius non gaudeat, eum deportatis verè comparari malunt; posteriori minimè; quibus quodammodo calculum addo. Nec enim stringit, quod in quibusdam discrepent, modò ratione principaliorum in una sede morentur, æquiparari enim quid dicitur alteri, quantum magis de natura ejus participat, & una similitudo prægnans, juris quæ fundamentum vallata innumeras vincit alias, *exemplo l. quod attinet. de R. J.*

XIV. Excommunicatis bannitos maximè pares dicit *Gail. 2. de P. P. c. 1. Freder. de Sen. consil. 271. Signor. consil. 119. n. 3. Matth. de Afflict. in c. 1. n. 136. de milit. Vasal. qui contum. Menoch. 1. conf. 101. n. 6. 7. Everh. vol. 2. conf. 17. n. 49. Ruland. de commiss. p. 1. lib. 3. c. 11. p. 4. lib. 7. c. 1.* propter generalitatem effectûs, quod nempe utriusque sacris interdicitur, & ambo pro mortuis habeantur, quibus reluctari conatur *Ascan. Clem. tr. de patr. potest. c. ult. Consulat. Thusc. lit. b. tit. Bannum. conclus. 11.* Diffidatos illos hostes Imp. nuncupat *Everh. d. conf. 17.* eo ipso enim, dum banniuntur, bellum iis indicitur. *pulchrè Loffred. conf. 45. n. 26. & seqq. Gail. d. loc. Myns. cent. 1. obs. 52. prolixè Br. in disp. incip. Lucan. civitat. n. 5. Hier. Gig. tr. de crim. las. Majest. lib. 3. tit. de rebell. p. 1. per tot.*

XV. Contumaciæ causâ bannitos rebellibus æquiparat *Zaf. in Apolog. cont. Joh. Eck.* Strictè verò sumpto vocabulo, illi propriè sunt, qui bellum inferunt Magistratui, vel conspirationibus abominandis pessima quæque contra Rempublicam

moliuntur, & eatenus Zafii mens salvari nequit. Latiùs aliquantò sumpto eodem, ut nempe per rebellionem omnis inobedientia & pertinacia, iustumque Magistratus malitiosa denotetur aspersione, à partibus illius stabimus. *Marp. vol. 1. conf. 16. n. 89.* Aliàs à plerisque relegatis seu confinis (qui fandi modus usitatus vetustati) similes dicuntur, quoniam regulariter bona illorum non publicantur, quæ & propria natura est relegationis, nisi ex certa causa pœna adaugeatur, ut antè dictum, *l. relegati. l. relocatorum. §. hæc est differentia. de interd. & releg. l. bona. de jure Fisc. Jac. de Aren. in l. eo fact. ad Trebell. l. pen. C. de hered. instit. Zaf. in l. ad cognitionem. ad fin. quib. ex caus. in poss. eat.* Sed cum verba constir. litem hanc dirimant, longiùs ire non libet.

XVI. Sine ullo autem respectu personarum, sexûs, dignitatis & præminentie banni censuram adhiberi in propatulo est; Ecclesiastici quidem regulariter non subsunt jurisdictioni laicorum, seu non sunt de foro seculari; & quamvis leges in favorem illorum ferantur, nisi approbentur à Pontifice summo, *c. 1. X. de constit. c. decernimus. de judic. c. 2. de foro compet. non obligant illos, l. pen. C. de SS. Eccles. ibid. Dd. Schurff. cent. 1. conf. 48. n. 182. Thom. Gramm. decis. 29.* vult, non tenere processum Laici contra Clericum, etiamsi saltè citatus sit ad docendum de privilegio aliquo Clericali, sed impunè illum non comparere, imò si copiam sui faciat in iudicio, ob prorogam invito ordinario Magistratu jurisdictionem pœnæ arbitrariæ subiacere, tanquam violatorem sacrorum Canon. *Bl. in l. 1. C. de ind. vid. toll.* Et quod magis est, Ecclesiæ Præsidem consentire vix posse, ut criminis læsæ Majest. reus in iudicium trahatur, quoniam privilegium illud à Deo habeat, *Cabal. resol. crim. cent. 3. c. 225.* aliique defendunt; quibus vehemèter se opponit *Arnise. tr. de subject. & exempt. Cler. c. 3.* Hinc in mediare Imperii subditos, & alium superiorem recognoscentes, banni pœna animadvertendum non existimo, cum criminum ab illis commissorum cognitio seu decisio foro Eccles. adhæreat. *c. si diligenti. de for. compet. c. cum non ab homine. it. c. Clerici. de judic.*

XVII. De immediatis idem foret iudicium, cum juxta *clement. 1. & ibi Dd. de pœn.* Episcopum banniens incurrat excommunicationem; Feudis tamen, & regalibus ab Imperio sibi con-

concessis, ratione quorum dignitate Electorali & Principum Imperii titulo fruuntur, sicque membra ejusdem vocantur, quin privari possint, nullum est dubium; quantum enim Imperator dedit ipsis, tantum pro delicti qualitate iterum auferre potest. *Constit. Maxim. I. Anno 95. tit. Ob Geistliche Personen wider disen frieden handelsten.* A privatione autem ista excipiuntur bona Ecclesiæ propria, seu quæ sunt de mensa Prælati, cum eadem omnem Magistratus politici dispositionem respuant, ut pluribus probat Schurff. *cent. 1. conf. 48. n. 1.* dicanturque bona Dei, pauperum, *Everhard. 2. conf. 17.* quæ nec Imperator ipse petere potest, *c. convenior. 23. q. 8. c. 2. 3. 4. 17. q. 4.* Et si collator eorum ipse invadat ea, committit sacrilegiū. *dd. cc.* Differentias hujus privationis & banni duas adducit Magenhorst. *p. 2. Ord. 1. 9. fol. 160.* quod nempe hoc publicetur sub dio, hæc intra parietes. 2. Hoc emanare purè & simpliciter dicit, huic plerumque adjici comminationem seu conditiones, (quod tamen postea in banno itidem concedit) ut si adversus aliquem eminentioris dignitatis denunciatio fieri debeat, prius negotium Imperatori notificetur, talesque banno adjiciantur minæ, quod si reus intra mensis spatium processibus non paruerit, denunciationis, publicationis banni & processuum decretorum causa amplius fieri debere, quod juris est. Moverur circa hæc & illud: Num Clerici ad pœnam banni agere queant, an verò saltè restitutionem damnorū & interesse petant? Prius negatur, *per c. pralatis. de homicid. in 6. c. sententiam. Ne Cleric. vel Monach. secular. negot. se immisc.* Quod de mediatis indubitatum Gail. opinatur. De immediatis aliud statuere rationes prædictæ, ut & exemplum Alberti Marchion. Brandeb. qui Anno 53. 1. Decemb. ad instantiam Episcoporum Bambergensis & Herbipolensis declaratus in Cam. legitur, jubent. Vir Nobiliss. & Consultiss. Johannes à Langen in *disput. sua Inaugur. anno 15. Helmst. ad. habit. à utrisque tam mediatis, quam immediatis id juris largitur, quâ mente, non adjicit.*

XIIX. Mulier etiam, si vel in tantam proruperit audaciam, ut vi publicâ P. P. leges infringere attentaverit, vel spretâ judicis summi autoritate, monitis illius morem gerere detrectarit, quin secundum rigorem juris banno feriri possit, dubio nõ caret, cum in materia pœnali masculinū plerumque contineat scemi-

ninum, *l. si quis id quod. de jurisd. Chas. in consuet. Burg. tit. des justices & droicts. §. si aucun. Alberic. de Ros. per l. ait Divus. de jur. Fisc. argum. l. si quis in tant. C. und. vi. Dd. h.* Licet enim legislatores fragilitati sexus, & iudicii imbecillitati subvenire diversis constitutionibus maluerunt, calliditatem tamen & malitiam mulierum tueri, illis non fuit animus, *arg. c. quod proposuisti. 32. q. 7. c. indignanter. 32. q. 6.* Verecundiæ autem & pudoris cum veneranda antiquitas rationem semper habuerit maximam, quod luculenter demonstrat *l. sed si. §. 1. de in jus voc.* vestigiis illius insistentes Imperatores laudatissimi, publicè illas haud prostituerunt, sed ad exemplum Clericorum bonis privilegiisq; indultis privarunt. *Magenhorst. ad Ordin. Cam. p. 2. t. 9.*

XIX. Minor si doli capax sit, quin ex delicto teneatur, non ambigit Fachin. *1. contr. c. 71. Arum. disp. ad Pand. 6. th. 21. Hunn. resol. Trentl. vol. 1. disp. 11. th. 12.* quoniam malos mores animi infirmitas non excusat, *l. 1. C. si advers. delict.* nec jura iudicii defectu peccantibus succurrentia dolum promovere velle præsumuntur. *Dis. Menoch. lib. 2. arbitr. c. 329. n. 11. Theß. decis. 161. n. 4. Wefembec. a. ad L. Cornel. de sicar. n. 26.* Pacifragii igitur reus si factus fuerit, legesque contraveniendo ipsarum beneficio indignum se reddiderit, de stricto jure pœnæ usitatæ meritò subjiciendus est; nec tamen iudici potestatem emolliendi eam, si infirmitate iudicii vel aliâ justâ causâ motus id faciat, præcidimus. Quid de contumace minore statuendum sit, vid. *Hunn. d. loc.* Furiosum, si in continuo furore sit, i. e. continuâ mentis alienatione intellectu careat, à pœna hac immunem dicimus, *l. Divus. de offic. præsid. Hæn. disp. ad Regul. jur. 2. l. 5. l. cum prætor. de judic.* quoniam regulariter ex delicto non obligatur, *l. sed etsi quemcumq;. §. 2. ad L. Aquil. d. l. Divus.* cum satis ille furore puniatur, quem leges magis dignum commiseratione quàm animadversione judicant, *Geed. de contr. stipul. c. 7. conclus. 9.* & potius crudelitatem saperet quàm justitiæ administrationem, illum, quem fari infelicitas satis depressit, ulterius affligere. Si verò dilucida habens intervalla, eo tempore, quo sensu sanior appareat, deliquerit, veniam illi in totum dandam non esse arbitror; semper enim attenditur conditio rei tempore criminis admissi, nō sententiæ latæ, (quod tamen multis displicet, & hodiernis moribus contrarium est.)

Non

Non præsumitur autem, quòd coadunati homines videntes hominem furere, illum sequantur, nisi privato rancore & odio inducti forsan illo tanquam instrumento utantur, ut absq; minori suspitione mala sua proposita in effectũ perducere queant; quapropter judicem diligenter inquirere oportebit, ne illi impunè abeant. *vid. Gail. 2. obs. 110. n. 12.*

XX. Non solummodò quoq; particularibus personis, sed & toti alicui universitati seu communitati hanc infligi pœnam, & experientia, & juris dogmata docent, *Auth. item nulla comm. de Episcop. & Cler. Schurff cent. 3. conf. 55. l. sed & ex dolo. §. 1. de dol. mal.* & quamvis illa, quatenus est ficta persona animo carens, delinquere nequeat, tamen cùm consules, senatores civesq; in unum quasi conflati, corpus constituant, illamq; repræsentent, necessariò ex factò illorum obligabitur, non quidem momentaneo, sed successivo; quemadmodum de Ecclesia in simili prædicat *Anchor. conf. 158. n. 18.* Propterea ait *Gail. lib. 2. de P. P. c. 6.* actum ab universitate gestum restringi ad personas habiles, cùm jus illius penes habiles resideat. *Contrà Cravett. conf. 21. n. 8.* *Roland. à Vall. vol. 2. consil. 66. n. 64.* iniquum clamant, ex delicto aliquo particularium plecti tot homines, cùm potiùs juxta doctrinam *Cic. 1. Offic. viri magnanimi sit rebus agitatis punire fontes, multitudinem conservare, fac. l. 22. de pœn. l. crimen. 26. Eod. arg. l. 2. C. de his, qui latron. vel al. crim. reos occult. in fin. c. Petrus. de homicid. quibus regerunt Befold. lib. 1. Polit. c. 12. thes. 68. Benintend. decis. Avenionens. 128. n. 6. Covar. var. resol. 2. c. 18.* non venire hïc in considerationem delictum particularium, sed potiùs pertinaciam omnium de universitate, qui consuluò seu deliberato animo maluerint aliis obesse, & neglecto superioris jussu alterius invaserint territorium: quod igitur omnes approbarunt, omnes quoque postea justificent, vel pœnas promeritas luan.

XXI. Igitur si Senatus, vel illi, qui ad gubernacula sedent, populum pulsata campana convocantes, levato vexillo urbe exire, vicinoq; injuriam inferre jusserint, qui dicto audiens prætoris, ductorem sequatur, & sic contra P. P. constit. peccet, pacifragii insimulari vix poterit, cùm inobedienciæ argui noluerit, tùm ex persuasu Magistratus bonum publicum hoc ipso adaugeri arbitretur, populus, sicque simplicitate ductus, illud, quod
l. 8. MXXX
sciens



sciens & intelligens nunquam fortè animum induxisset, admisit. Proinde ex facto proprio conveniendi erunt primarii, qui fines demandatæ sibi provinciæ transgredientes, ubi singulorum commodum quærere debuissent, illos in extremum præcipitarunt malum. Multis hoc displicet, existimantibus, simplicitatem quidem communitatis, non supinam negligentiam incuriamq; excusari; imputer enim sibi, quòd accuratius non inquisiverit in causam decreti; nam faciliè, animadvertens ex conatu hoc nihil quicquam boni ad se redundaturum, reluctari poruisset: pro quibus pugno. Ex delicto tamen administratorum, civitatem obligari in tantum, quatenus ad ipsam pervenit aliquid, vel ex illo locupletior facta est, obtinuit. *l. sed & ex dolo. 15. §. 1. de dol. mal. Losæ. tract. de jure universit. p. 4. c. un. n. 49. Farin. prax. crim. lib. 3. tit. 4. q. 24.*

XXII. Consensu perfecto & absoluto, omnibusque requisitis præcedentibus, si factum tale enormissimum perficere exiverint omnes omninò incolæ civitatis, duobus saltèm vel tribus domi remanentibus, num absentia illorum ratio habeatur, non adeò planum est? Aff. Bruning. *de var. universit. specieb. thes. 96.* Magis verò rationi consona apparet Negantium sententia, cum in actu præjudiciali peragendo, à majori parte, si non cõtradicat minor, consensisse videatur regulariter, *Marth. decis. tom. 4. tit. universit. c. 14. nec refert, postea interfuerit, nec ne; hinc ait Capyc. decis. 4. in pr. sufficere præsentiam duarum partium de tribus, per l. nominationem. C. de decurion. l. nulli. quod cujusq; universit. nom. Specul. Alexand. Bart. & alii ab ipso alleg.* Si enim consensus hic non æquipolleret præsentia veræ, reali, seu corporali, alium fucum etiam obrudere possent præsentés, dicendo, se quidem metu pœnæ coactos esse, sequi multitudinem errantium, non tamen manum admovisse operi, vel quicquam pœnâ dignum admisisse. Non caret autem scrupulo societatis, qui aliquo modo tantum se immiscuit facinori manifesto, dum sibi abesse liceret, *c. sicut dign. de homicid. c. dilecto. de sent. excomm. in 6.* Tripliciter etiam peccare dicitur Universitas: committendo, ommittendo, vel ratificando, ut prolixè monstrant *Marth. d. decis. c. 23. Cacheran. decis. Pedemont. 138. Oldrad. consil. 199. n. 7. Alex. p. 2. cons. 68. Gail. c. 9. per tot.*

XXIII. Sed

XXIII. Sed cùm secundùm vulgatum, odia sint restrin-
genda, favores ampliandi, publicâ utilitate aliud non suadente,
banni quoque pœnam hodiè Imperatores intuitu pupillorum,
minorum, prægnantium mulierum, aliarumque miserabilium
personarum, quæ delicti participes haud facîle factæ sunt, in
pecuniariam converterunt, *Recess. Imp. Anno 582. §. Darneben soll
auch der Cammerichter. Ordin. p. 2. t. 18. Myns. cent. 2. obs. 3. Gail. c. 6.
Constit. Frid. de pac. inter subdit. ten. §. si quis vero ausu. Oldendorp. de
jur. & equit. t. 14. juri quippe & æquitati contrarium est insontes
puniri, l. 1. in pr. vers. sed si ordo. de Magistr. conven. l. 5. in pr. de pœn.
Hortled. p. 1. lib. 4. c. 38. n. 42. c. 46. n. 18. nec sine publico motu ban-
num exequi facile poterit, Magenhorst. 2. p. tit. 9. Et licet contra-
rietur quodammodo Const. Maxim. I. & Car. V. tit. die Pœn al-
ler Friedbrecher, tamen revisione in Comit. Augustan. Ann. 48.
tit. von gewalt des Cammerg. die Acht vnd Pœn dessen betref-
fend / priorem sententiam obtinuisse, & adhuc servari in sum-
mo Imperii Consistorio testatur Johan. Ulric. Hammerl. in vot.
Antevvacker. Gail. Myns. Processum rigidum contra Brixens.
Bononienf. civitates institutum, quod in consequentiam trahit
Bodin. 3. de Republ. 7. Gœden. conf. 33. n. 21. incôveniens mihi quo-
dammodo viderur, cùm criminis læsæ Majest. atrocitas pœnæ
mitigationem ferre noluerit, id quod nec hodiè aliter futurum
arbitror, si delictum & excessus efflagitarent. Porro Authent.
Item nulla communitas. Item quæcunq; comm. C. de Episcop.
& Cler. severitatem intolerabilem dicit Oldendorp. nec excu-
sari posse, etiam si totus mundus in unum conflatus esset.*

XXIV. Paria quoque semper habita sunt, non fieri, & non
legitimè fieri; sententia igitur si promulgata sit contra juris or-
dinem, emendicata præsumitur, nec condemnatum ad pœnam
obligat, *Joh. Knyttel. tom. 2. conf. Illustr. J. Ctor. & Academ. conf. 2. n. 159.
Henr. Steph. in princip. monitr. Mus. fol. 166.* Disceptatur hinc apud
modernos; Num, postpositâ judicii formâ, citatione nempe,
causæ cognitione, & solenni declaratione, si quis proscribatur,
ritè & rectè bannitus prædicetur? Primum quod attinet, Jus
Civile judicem, ex abrupto, parte adversâ non citatâ ad instan-
tiam unius, damnantem vel absolventem, iniquè judicâsse, præ-
sumit, *Alciat. de præsumpt. 9. n. 23. Mindan. de process. lib. 2. cap. 13. n. 4.*

Menoch. de recup. poss. remed. s. n. 8. quem vid. & exinde injuriarum
cōveniri posse, *Halbrit. de injur. & fam. lib. c. 3.* quoniam citatio nō
fit sub regula potestativa, sed naturali, ex parte judicis, propter
liquidationem causæ, de iis enim, quæ ad noticiam illius perve-
nerunt, rectè judicat, quod fieri melius non poterit, quàm reo
præsente, *l. fin. C. si per vim.* Ex parte rei verò ratione defensionis
quâ frui nequit, nisi citetur, *l. de unoquoq. de Re jud. l. fin. C. de legit.*
har. c. dilecto. de sent. excom. c. Roman. de appell. in 6. quare subtractâ ci-
tatione, remedium defensionis simul auferretur, quod nec judi-
cialiter, nec extrajudicialiter fieri potest, etiam per Principem i-
plum plenam potestaté exercere volentē. *Dd. in l. 3. de I. & I. l. de-*
fension. facultas. C. de jur. fisc. Et Bonifac. de Vitalin. *tr. de malefic.*
inquit; Licet quis, non vocatus, judici se sistat, crimenq; confi-
reatur, & desuper ille sententiam ferat, propter omissionem sub-
stantiale iudicii nihilominus eandem annullari, *arg. c. ecclesia. X.*
de constit. c. inter quatuor. de major. & obed. l. prolatam. C. de sent. & in-
terlocut. l. ea qua. C. quomod. & quand. jud. (quod cum grano salis
amplectimur.) Accuratam ergo habendam rationem monet
Reus *lib. 1. conf. 1. n. 232.* ut semper evitetur nullitatis exceptio, ne
lites protrahantur, defectu aliquo irrepente insanabili. *Vant. de*
nullit. Barbar. vol. 3. conf. 42. Deo quoq; omnipotenti ἀγαθῶν istam
displicuisse, exemplum Caini & Sodomorum probat; licet e-
nim ille cordium scrutator peccasse hos, benè noverat, non ta-
men, nisi prius ad tribunal justissimum accersitos condemnare
voluit, quò nostram temeritatem & præcipitantiam compesce-
ret. Dissidentem Sarmient. resp. *Borell. decis. summ. t. 43.* vid. ple-
nè *Goldast. de Rom. Imp. Monarch. tom. 2. fol. 1597.* *Beust. de jure jur. in*
rubr. n. 105.

XXV. Nec Camer. aliter procedere monstrat *Magenhorst.*
ad Ord. p. 2. t. 9. §. 1. putans, verba illa *IPSO FACTO* in d. Ord. posi-
ta, non excludere viam juris, sed civiliter interpretanda esse, ut
nempe actor per supplicationem factum enarrat, citationemq;
impetret, *Myns. cent. 2. obs. 43. Gail. c. 3. Marth. decis. tom. 1. r. citat. c. 36.*
etiam in notoriis citandum illum, qui aliquid interesse præ-
tendat, concludit; à quo tamen plurimi dissentiunt, putantes,
in casibus, ubi nullam competere reo defensionem liqueat, ob
notorietatem forsan vel aliquam aliam causam, citationem
non

non esse de necessitate, *Bl. in c. quoniam cōtra. de probat. in l. jubemus. C. de defensor. civit. Gæden. conf. 103. n. 46.* sed & contra ipsum absentem sententiam ferri, *Grammat. decis. 36. n. 69. & seqq. Matthæ. de Afflict. decis. 361. n. 12. Roman. conf. 499. Dec. in l. meminerint. C. unde vi. nec novum esse efflagitante publicâ utilitate, vel periculo imminente damnoque irreparabili, ab executione processum inchoare Magistratū, ex-tunc enim omittere juris leita, esse procedere secundum ordinem juris, Dd. in c. ad nostram. de jurejur. Sed replicant prioris sententiæ parastatæ; Multa quidem dici notoria, quæ num talia sint in dubio relinqui, cum nihil tam possit esse notorium, quod aliquas non comitetur circumstantias occultas, suppeditantes aliqualem reo excusationem, Gædd. conf. Marp. 24. n. 228. vol. 1. Dec. conf. 544. n. 13. Cavalcan. de brach. reg. p. 1. n. 207. Coler. de process. executiv. p. 3. c. 1. n. 54. c. consuluit. 14. de appellat.*

XXVI. De modo citandi diversas alunt Dd. opiniones, *Marth. decis. tom. 1. tit. de citat. c. 13. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 292. vid. Gail. c. 7. n. 2. Mynsing. 2. obs. 69. Ruland. de commiss. p. 4. lib. 7. c. 1. n. 4. Beust. de jurejur. n. 105. Schvvanim. obs. 53. Specul. tit. de cit. §. sequitur. 16.* De causæ cognitione itidem sentiendum esse Sacræ literæ passim inculcant, eamq; in sumuario, imò summarissimo judicio adhibere Canones præcipiunt, *Clement. sapè. de V. S. Alex. vol. 4. conf. 42. n. 4. Everhard. conf. 17.* Papa enim licet quadrata rotundis mutet ratione plenitudinis potestatis, inauditum tamen reum non condemnat, *c. ponderet. dist. 50. & præcipitantiæ justitiæ novercam averfatur, clem. pastoralis. 2. §. verum. de sentent. & re jud. Gram. decis. 59. n. 1.* Sub amissione cinguli iudicibus injungit Imp. *in l. fin. C. de divers. rescript.* ut sibi de ferenda sententia, prius quam utriusq; partis audiverint gravamina, caveant, *Henr. VII. conf. quom. in crim. l. s. Majest. in extravag. Feud. & de occultis illis judicare relligio sit, cum eo fine, ut benè cognitis causæ meritis pronuncient demum, sellam suam occupent, Gail. 2. obs. 4.* Opinioni huic etiâ robur additurus, hodiè in capitulatione strictè admodum semetipsum devincit, quòd nèpe ullo modo cōcedere nolit, ut Status aliquis sublimior, vel qualescūq; Imperii membrū, nisi sufficienti præviâ causæ ventilatione, proscribarur, damnetur & declarerur, sed strenuè allaboraturum se, ut in hoc passu secundum normam constitutionū Cam. progrediarur, promittit.

cllib

C 2



XXVII. Ab his divortium facientes, item respectu necessitatis extremæ nullam legem agnoscentis, publicæque utilitatis, cujus causâ nihil tam justum, quod non subvertere; nihil tam sit arcanum, quod nõ eruere; nihil tam sanctum, quod profanare non liceat, *l. sancimus. C. de SS. Eccles. Nov. 65. 120. c. 9. 10. c. Apostolicos. 12. q. 2.* à communi regula recedere permittunt, *arg. l. 1. §. quies. de off. pref. urb. l. si quis ingenuam. §. fin. de captiv. & postlim. revers. §. item si incend. capt. t. de incend. & pacis violat.* quod exemplo Scipion. Nasicæ demonstrant: nam ille, Gracchum seditiosum, & varia contra Rempubl. molientem, quem Scævola servato judicii ordine demùm ad supplicium trahere decreverat, collecto milite nullo processu instituto palàm facto conatu nefando, tanquam pestem perniciosam è medio sustulit, rarus, nimis serò post vulneratam causam remedium quæri, dumq; ille examinaretur, fundamentalem forsan Reipubl. eversionem secururam, super hocq; facto statim Prætoré fundasse constitutionem, *l. de pupillo. §. prater ea. de nov. oper. nunc.* conjiciunt plurimi. 'Dubia itaque egere putant examinatione & decisione, in claris autem & certis summarie & de plano procedendum, nec diù ingenia aliàs satis occupata, vanis causarum nullâ altiori indagatione egentium discussionibus vexanda esse, cum facta de facto, iterum possint revocari de facto, *eleg. Paris. vol. 1. cons. 1. n. 33. 39. 40. Felin. in c. cum olim. de Re jud. Gomez. var. resol. tom. 3. c. 1. n. 48. l. ille. §. cum in verbis. deleg. 3.* & absurdum foret, alicui per viam juris ut procedat injungere, adversarioque interim pro libitu in bonis actoris grassandi licentiam dare, illisque spoliato, demùm inhibitionibus aliisve remediis subvenire; sed hanc cum priori magis in foro versatorum discussioni relinquentes, quæstiones, nos per discursum informari patiemur, quæq; illis æquior visa fuerit opinio, illam arripiemus.

XXIIX. Declarationis solennitatem essentialè quoq; esse hujus processus, exemplo prodigi cõmonstrant; illi enim licet bonorum administrationem jura adimant, Magistratus tamen interdictum non excludunt publicum, Dd. imò necessarium prædicant, *Vigl. ad §. item prodigus. Inst. quib. non est permis. fac. test. Gædd. de contrah. stipul. c. 7. n. 141.* Sic Feudistæ Vafallum gravissimam committentem Feloniam, ipso facto beneficio suo cecidisse

disse ajunt, *c. Imperialem. §. callid. de proh. Feud. alien. per Frider. §. sancimus. tit. quo tempor. mil. c. qui Cleric. si de Feud. defuncti controvers.* nec tamen nisi per sententiã declaratoriam in possess. turbatur, ideoq; plerumq; verbis futuri tẽporis urũtur Feudistę *dd. tt. Spec. de Feud. d. §. callid. Oldrad. consil. 253. Bl. in Auth. qui semel. C. quom. & quan. judex. c. cum secundum. de hæret. in 6. Sic in Lejus qui. de jur. fisci.* illi dicitur reverã infamia irrogari, quem judex proclamavit talem. *Andr. de Ifern. in c. 1. de Feud. sine culp. non amitt. Luc. de Penn. in l. 2. C. de desert. Hippol. de Mars. in pract. crim. §. aggredior. n. 105. arg. l. in interpretatione. 42. de pœn.* Nec sufficere ait Papa *in c. judex. de offic. deleg. in 6.* quem suspectum reddere, nisi judex ipse talem faciat, & quæ hujus generis alia undique peti possent. Nec tamen exinde otiosa stare verba illa, **IPSO FACTO, IPSEO JURE**, concludunt *Schneidvv. ad §. recuperanda. Inst. de interd. Roding. P. Cameral. l. 1. tit. 7.* quippe operentur hoc, ut declaratoriã latã sententiã executio legitimẽ demanderetur, omniaq; fiant decenter. 2. Ut respectu temporis delicti, ipso jure statim annuos redditus percipere prohibeatur, vel ab universorum bonorum alienatione, quam facilẽ malẽ sibi conscius attentaret, *Forster. proc. jud. tit. 5. absteineat bannitus. Diss. Myns. 2. obs. 43.*

XXIX. In bannifatione Principis alicujus, num etiam convocatio reliquorum Imperii membrorũ requiratur, à nonnullis moveretur? Quod qui negant, ratiocinantur in hunc modum. Ut maximẽ constet, congregatis Statibus actus ejusmodi perfectos esse, non tamen concludendũ ex eo, tam præcisẽ opus esse illorum præsentia, serò enim nimis & rarissimẽ illi pacis ruptores dignas factis suis pœnas sustinerent, si talis expectaretur conventus, quod & innuant verba const. Anno 95. ut & 500. promulgat. cum loquantur saltẽ de illo, qui Imperii membrum non existens, si immediatum aliquem bello infestet, inque sua turbet possessione, & tantæ sit potentia viriumq; , ut communi contra ipsum progrediendum sit ope & auxilio, quo casu necessariam illam esse largiuntur, ulterius pro se allegantes *Ordin. p. 2. tit. 9. §. So jemand.* Sed mutua obligationis memorem, Imperat. nunquam tale quid facturum præsumitur in præjudicium Statuum; sicuti nec Papa, qui majorem quoque & magis absolutam sibi tribuit po-

sestatem, sine consensu collegii Cardinal. excommunicare
fatagit.

XXX. Dudum etiam accipiti Marte discussum est, An
Cam. non requisita Imperatoris approbatione aliquem ex Sta-
tibus Imperii bannire valeat? Cum semper laudatus sit mos
illorum, qui cum propria autoritate agere potuissent, me-
ruentes tamen, ut de facto impediatur, superiorem compel-
lare, illiusque adhibere consensum maluerunt; in re quoque
tam magni momenti Cam. inconsulto Imp. procedere non de-
bere consulit Heig. p. 1. q. 9. inquires: Si de bonis Principum co-
gnoscere Imper. sibi reservavit, de capite & vita ipsorum judi-
care alii haud praesumitur concessisse. l. 4. de senator. Maximae
cum sit deliberationis tranquillam movere Rempublicam, &
potentioris diris vovere: Tange montes, & fumigabunt. In
contrarium autem euntes, praesisa hac Cam. potestate ordina-
riam simul illius jurisdictionem exspiraturam, putant; in va-
num quippe illa tantoperè sententiis ferendis invigilaret de-
sudareretque, si exequendi easdem & scelera coercendi potestate
careret. Imò majori Princeps in subditos uteretur Imperio,
quam Cam. Imp. representans, cum illi in transgressores con-
stitutionum suarum pro facti ratione animadvertere liceat, quod
huic denegaretur. Ad argumentum ex absolutione desumptum
ab Heig. allegando diversitatis rationem resp. Gilk. de praescript.
fol. 92. quippe condemnatio fiat juris via, qua procedere Cam.
integrum sit. Restitutio autè sit reservatum aliquod Monarchi-
cum, nulli, nisi cui ex singulari gratia permittatur, competens.
Mynsing. cent. 5. obs. 58. Geil. 2. de P. P. c. 18. Sed cum post March. Al-
bert. bannif. expressè priori opinioni stare injunctum Camerae
dicatur, jamque usu & consuetudine recepta sit eadem, teste
Assels. Anonymo in obs. simul excusis cum Hieron. March. decis.
observ. 6. Heigio me adjungo.

XXXI. Delictorum, quae poenam banni causant, quaedam
in committendo, quaedam verò omittendo consistere, s. th. 8. di-
ctum est, Roding. p. Cam. 1. tit. 7. Et quamvis duriorum mereatur
poenam prius, aequè tamen graviter rigore constitutionum
considerato, in posterioris reos animadvertendum foret, quod
juri communi non incongruum. Sic Martián. in l. 1. de receptat.

ex-

exsecratur pessimum illud receptatorum genus, sine quorum operâ & ope homines noxii diù latere nequeant, sed tantò citius ad supplicium abripiantur, quam legem Romanis quoq; & Græcis incognitam non fuisse historiæ produnt. Et Longobardis à Carol. Mag. legem laram refert Tholos. lib. 37. syntag. c. ult. ut si latronem liber homo susceperit, 15. solidis mulctetur, servus si fuerit, 125. ictuum percussioibus vapulet, nec quenquam si misericordiâ ductum se protestetur, hominem fame perire noluisse, excusari, cum & intempestiva misericordia pœnam mereatur, l. si hominem. depos. Carer. pract. crimin. fol. 112. per l. Methodor. de receptatorib. sed iudicis plecti arbitrio. Dolus autem in primis desideratur penes hanc receptationem, charitativa enim si fuerit, utpote, quando juvamus pauperem, infirmum, bannitum, est de natura boni, conjunctionem inter homines constituentis, ut alter ad alterius subsidium inducatur. l. 3. de J. & J. Bursat. conf. 216. n. 137. In dubio igitur interpretanda est, ut semper excludat communicationem delicti.

XXXII. Appellantur autem receptatores nobis, qui domo hospitiove excipientes bannitos dolosè, cibo ac potu illos juvant, quibus annumerantur pecuniam, com meatum, annonam, vel arma subministrantes, vel fidem suam pro illis interponentes, alle so ihnen kundtsich vnder schleiff geben / quos capitali pœnâ plectendos putat Hier. Gabriel. vol. 2. conf. 169. Par. de Put. tr. de syndic. fol. 174. In Cam. citantur ad purgandum vel videndum se declarari, p. 2. Ordin. tit. 10. Subditus autem Status alicujus Imperii si bannitum receptum admonitus dimittere nolit, non solum citatur, sed & per mandatum superiori injungitur, apposita pœnâ gravissimâ, ut sibi subjectum, ad expellendum hostem Imp. adigat. Magenhorst. ad d. r. 10. At Zal. in l. à Divo. de Re jud. scribit, quosdam Principes ex speciali concessione, proscriptos ad tempus alere, quod de Comitibus von Eyningen vnd Tagsburg affirmat Gylman. tom. 6. symphor. c. 6. §. 11. tenorem privilegii adjiciens. Si tamen jure aliquis contra illos experiri velit, in suis judiciis conveniri patiuntur eosdem, justitiamq; sollicitantibus administrant.

XXXIII. At non indistinctim omnes rigori constitutionibus expresso subjectos autumat Gail. de P. l. c. 10. n. 33. mitius quip-

quippe agatur cum illis, qui vi vel metu inducti receperint, *Schvvann. 29. n. 1. Gilhaus. arb. jud. crim. tit. 9. c. 2.* Tum parentes si liberos, vel versâ vice hi illos, memores amoris & beneficentiæ, quâ sibi invicè per legem naturæ obligâtur, susceperint, *Cravet. conf. 309.* Dis. Bald. in c. 1. §. si quis hominem. de pac. ten. Vel uxor maritû, cujus infortunium illa sequi tenetur, *l. si cum dotem. §. fin. autem. sol. matr. Conf. Marp. vol. 2. conf. 6.* foverit, *Genes. 2. Matth. 29. capp.* Nec impedire dicit Damhoud. *prax. crim. c. 58. in fin.* quòd ille dicatur hostis civitatis, quoniam lex talis vires matrimonii non tollere, multò minùs in totum dissolvere idipsum queat, quod ex jure divino oritur. Vel denique cognati, & affines, mutua sibi officia præstent, quoniam pluribus in locis jus civile permittat quicquam ratione sanguinis, aliàs de stricto jure prohibitum, *arg. l. fin. C. de Codicill. l. 2. C. de adult. l. 1. reperund. l. 4. §. fin. de re milit.* Aggregare his malunt Dd. ar&issimo amicitia vinculo conjunctos, *Bott. conf. 2. n. 19. & seq. Nevizan. conf. 54. n. 14. Nat. conf. 95. n. 14.* Sed num Const. verbis hoc concordet, non video. Licèt amicum, amico suo bannito transeunti cibum porrigentem, statimque dimittentem, in quantum excusari non diffitear. De his, qui in communiione quadam bonorû sunt, vulgo Ganerbi dicti, expressè disponit *d. Const. Item Ordin. p. 2. tit. 13.* Et quamvis generalis hæc prohibitio omnes cõplectatur omninò homines, speciali tamè dispositione in dict. Ganerb. ob singularia quibus gaudeant privilegia, *de quib. Losa. de jur. univers. p. 3. c. 13.* opus fuisse multi putant, ne videlicet iis fidentes nimium, in præjudicium Imperii homines sceleratos alerent.

XXXIV. Pluribus autem de receptatione delatis, convictisq; , num unus multam exsolvendo reliquos liberet, salebrosa est quæstio? Unum & idem cum sit delictum, unâ quoq; sufficere pœnam, maximè legibus expressam, plurimi ratiocinantur, quoniâ unitas divisionem nò recipiat, nec numerus personarum adeò strictè semper cõsideretur; insuper pœnæ regulariter molliendæ, & odia restringenda sint, iudexq; ad absolvendum magis quam condemnandum inclinare debeat, *arg. l. fin. de præ. stip. l. servos. l. fin. C. de vi publ.* Tum legi per hoc satisfiat, si contraveniens illam sive solus, sive cum aliis, pœnam eâ ipsâ præscriptam luat, nec æquitate perspectâ Magistratû ulterius quid poscere

poscere valere. Contrarium ego veritati magis propinquum
judico, presertim cum legu pluralitas roborer illud, *l. Item Mela.*
§. si plures. ad L. Aquil. l. ad officium. C. Comm. divid. l. quicumq. §. 1. C. de
serv. fugit. Dd. in l. si plurium servus. §. de noxal. act. Et maxima inde
resultaret inæqualitas, si pluribus scelus aliquod committenti-
bus unus tantum plecteretur, impunèq; cæteri abirent. Accu-
ratè tamen inquiret iudex, utrum alter plus altero etiam pecca-
verit, eo enim casu aliter procedendum, & uniuscujusq; factum
contemplandū foret. *Marth. decis. tom. 2. tit. delinq. c. 3.* Quando au-
tem de damno & interesse alicujus saltè agitur, quid statuen-
dum sit, vid. *Caball. resol. crim. cas. 97. per tot.*

XXXV. Ignorans cum non videatur consentire in deli-
ctum, nec contemnere auctoritatem judicis, nec rebellare,
l. si ignorans. ff. locat. Cacher. decis. Pedem. 138. n. 24. & ignorantia su-
pina etiam, si à dolo remota, affectataque non sit, crimen exclu-
dat, *arg. l. plagiar. C. de plagiar. l. 1. §. 6. vers. si bestias. de postul. regula-*
riterq; præsumatur donec probetur scientia, l. verius. de probat.
§. 4. vers. quod autem. Inst. de legat. c. præsumitur. de R. J. in 6. dicendum
erit, ignoranter recipientem bannitum pœnæ reum non fieri.
Sed Gail. d. lib. 2. cap. 10. pluribus hoc refellit, qui vid. Advocatus
autem banniti suscipiens patrociniū, num sit in numero re-
ceptatorum seu auxiliatorum, quæritur? Bart. in l. post legatum.
de his, quæ ut indign. hortatur illum, ut, si pœnas effugere velit,
operam suam denegat ei; si namque testimonium pro bannito
dicens incidat illas, Gloss. & Bart. in d. l. §. his verò. multò id magis
prædicandum erit de causidico, Magon. cynos. advocat. cap. 11. n. 4.
Hillig. Don. Enucl. p. 2. lib. 18. c. 3. lit. r. Gail. & alii. Sed cum officium
illius sit publicum, ad quod cuilibet recurrere liceat, *Rosfred.*
Benev. sol. 423. n. 3. l. servum quoq. §. publicè. de procurat. nemini præ-
terea defensio sui debeat adimi, ne Diabolo ipsi, juxta vulg.
& publicè intersit allegari causas innocentie, t. t. ff. & C. de postul.
aliter sentiendum puto, & textus de auxiliatoribus loquentes,
opem extrajudicialem tantum prohibere ajo, l. 2. C. de his, qui la-
tron. c. sicut dignum. §. fin. de homicid. Treutl. vol. 1. disp. 8. th. 2. lit. b. Dd. in
l. Gracch. C. de adult. Innoc. d. c. Excipiunt crimen læsæ Majestæt.
& casum l. quicumq. C. de Episcop. & Cleric. Marf. cons. 119. Nell. 3. p. 2.
temp. q. 27. Reconventionem quatenus jura permittant paci-

D



fragii in simulato, vid. *Gail. de P.P. lib. 1. c. 16. n. 5. 6.* à quo tamen recedit *Joh. ab Lang. in disput. inaug. thes. 18.* Thoming. *decis. 16.* Wacker. *in vol. suo Brunsvvicens. cont. illustris. Duc. Brunsvv.*

XXXVI. Banniti nostri temporis omni protectione, juri-
bus Imperii & privilegiis, agendiq; seu standi in judicio facultate sunt exuti, & in genere nullum actum legitimum perficere queunt, inquit *Decian. vol. 3. resp. 86. n. 34.* *Mynsing. consil. 21. n. 60.* *Menoch. vol. 6. conf. 603. n. 3.* *Peregrin. de jur. fisc. lib. 3. c. 7. n. 30.* *Coraf. Matthes. Zasius & innumeri alii;* Inutile ergo & supervacuum erit, more aliorum de banni effectibus loquentium, quaestionum computatione, quasi Phalange quâdam aciem hic struere, cum objectione generalis hujus axiomatis, frues subito concuteretur. *Ruland. de commiss. p. 4. lib. 7. c. 1.* de eo diu altercaturum meminit, num distinctio *Barr. Bald. Alex. Castrensis. in l. eo facto. 17. §. ex facto. 5. ad Scrum Trebell.* inter beneficia jure comuni vel statuto provenientia locum fortiri possit? At cum illo verbis *Ordin. p. 2. t. 9. §. 2.* universalitatem denotantibus inherentes negativæ subscribimus; qui enim omne dicit, nihil excludit, *arg. c. felicitis. de pen. in 6.* De banno Principis seu alterius quid statuendum, ex thesi. 5. 6. liquet. *Everh. cons. 17.* Ad instantiam verò alicujus si in judicium vocetur, quin per citationem habilitatus legitime compareat, & sic in posterum nulla adversus illius personam detur exceptio, indubium statuit *Coler. de process. execut. p. 3. c. 1. n. 69.* *Ruland. de commiss. d. loc.* *Gonzal. var. quest. c. 28. n. 8.* *Bertach. part. 1. fol. 269. per c. cum inter. c. dilecti. c. significav. de Except. c. intelleximus. de judic. modò tamen merâ & purâ utatur defensione; nec quod in tuitionis remedium juris moderatores concesserunt, in impugnationis materiam contra mentem & intentionem illorum vertat. *Gail. 2. de P.P. c. 12. n. 17. Bl. in l. quoniam. n. 7. C. de adulter. Felin. in Rubr. de Except.**

XXXVII. Sic caput banniti, sacrum fieri Romano Imperio & singulis ipsius membris, in principio dictum est; seposito inter contumaciæ & delicti bann. discrimine, constitutio quoniam utriusque reum diffidatum Imp. hostem declararet, *Gail. 2. c. 5. Decis. Rot. Spirens. 9. Everhard. cons. 17. n. 18.* licet antiquitas probè illud observarit, acerrimè militans pro contumace, quòd nempè non æquè graviter offendi possit ac ille, qui grave com-
mit-

mittens flagitium, toti se exosum reddiderit orbi, cum saltē
impropiē hic peccasse dicatur, *l. un. ff. si quis jus dicenti non obtemp.*
Iniquissimum autē putat Tholosan. *31. synt. agm. c. 6. in fin.* homi-
nem liberæ omnium exponere offensionī ad internecionem
usque, quō hominibus inter se ipsos sæviendi, homicidia, a-
liusque generis facinora perpetranda ansa præbeatur, cum ra-
men idēō iudicia constituta sint, ne cui libet pro arbitrio delin-
quentes coercere integrum sit; sæpius enim sub zelo iustitiæ
administrandæ, vel Reipublicæ inserviendi, hoc casu vindi-
ctam propriam quis exerceret. *Bertach. repert. lit. b. fol. 271.* Tūm
maximē contrarietur dilectioni proximi, in quenquam, qui vel
verbis, vel factō nunquam se contravenerit, irruere, lædere, imō
trucidare eundem, sed nequitiam hominum perversitatemque
legi durissimæ causam dedisse, in limine disput. dictum est;
quam adēō strictē semper servatam meminit Bart. Bl. ut & in-
sequentes bannitos, muros civitatis aliās sanctos transcendere
impunē potuerint, eosque occidentes iustitiæ ministri, ex mero
quasi imperio hoc facientes, appellati sint *in l. amissione. de cap.*
minut. & in foro conscientiæ excusentur, c. qui peccat. 23. quæst. 4.
arg. l. iuste possidet. de acquir. poss. Dis. Cævall. *opin. com. tom. 1. q. 555.*
qui non inconcinnē mihi dixisse videtur: licet interpretatio-
ne non habeatur pro homicida, bannitum jugulans, famam
tamen illius labefactari apud honestos, cum non omne,
quod liceat, honestum sit. Verē Corfet. *tract. de verb. geminat.*
fol. 92. n. 14. Necare impunē bannitum est tolerabile, non lau-
dabile, fidentem gratiæ certitudini, sanguine humano manus
polluere.

XXXIX. Stante verō statuto de libera banniti offensio-
ne, omnem huic permissioni includunt modum & media, qui-
bus perfici illa possit, sive igne, sive ferro fiat, cum in odiosis ex-
tentio sit licita, si subsit aliqua utilitas Reipubl. Hinc si in do-
mum alienam recipiens se extrahi inde non patiatur bannitus,
eadem num ab insectantibus incendi queat, quæritur? Affirm.
Marth. decis. tom. 2. r. bannit. c. 24. quoniam enim Magistratus vo-
luit antecedens, velle etiam præsumitur consequens, *arg. l. ad le-*
gat. de procurat. tūm culpa ista ad incendium non possit dici or-
dinata, cum casu quasi evenerit, sicque nō quid factum, sed pro-

pter quid factum sit, considerandum veniat. Sed tam naturali, quam civili æquitati contrariū reor, quem alterius delicti pœnam luere, & posito, illos iussum Magistratus obijcentes generalem, à pœna incendiariorum ordinaria liberos esse, cùm rei licitæ operam quodammodo dederint, ad resarciendum tamen damna, & intèresse refundendum tenebuntur. *Boß. in pract. crim. tit. de homicid. n. 69. Br. in l. perspicuend. §. delinq. ff. de pœn.* Filium à patris banniti offensione abstinere jubet natura ipsa, pietas, reverentiaque illi debita, nisi tamen contra Rempub. machinatus sit, quòd calamitatem importet irrefsanabilem, vel arma aequaliter sumserit. *Exod. 20. Petr. Royz. decis. Lituanic. n. 419. arg. l. minime. de relig. & sumpt. fun. l. postliminium. §. filius. de captiv. & postl. revers.* Vassallus autem si bannitum Dominum necaverit, num feudo cadat, non convenit inter omnes? Et respectu statuti strictam interpretatione admittentis, publicæq; utilitatis, negam. *Cæpol. conf. crim. §. c. un. §. item qui Domin. que fuit prim. causa Feud. amitt. Carer. pract. crim. fol. 147.*

XXXIX. Banni quoque sententiæ effectum expandit ad loca, qua in liga sunt vel confœderatione, si nempe in capitulis fœderis expressè id cautum sit, Marth. *decis. tom. 2. tit. bannum. c. 2.* quare si à Principe quis proscribitus in territorio vicini sibi confœderati reperiat, licitè ibidem offendi illum ait Alba *conf. crimin. 24. n. 43. Ferret. conf. 330. n. 2.* Negativam Clarus usu receptam ait; quamvis enim vel ratione commerciorum, vel metu violentiæ alicujus, fœdus quandoque pangant Principes vicini, sibi invicem casu necessitatis exposcente suppetias & opem laturo, separata tamen illorum manet iudicia & jurisdictiones, *Guid. Pap. q. 177. Boër. decis. 29. n. 2.* territorium igitur alienum violat, in eo jurisdictionem exercere conatus, *l. fin. de offic. praef. urb. Bapt. in addit. ad Clar. q. 64. n. 44. l. 3. de offic. proconf. Menoch. de arbitr. q. 100. n. 16. Bertaz. conf. 467. n. 10. vol. 2.* Sed ob specialem provisionem, priorem sententiam obtinere arbitrator, quoniam sibi & rebus suis legem quis dicere de jure communi non impeditur. Hodie Imperii Status, consanguinitatis, affinitatis, vel alio amicitiae vinculo colligati, contestandi animi benevoli affectionisque ergo, aliquando facinosum sub antigrapho vel literis reverentialibus ad locum delicti remittunt, ut exemplum in illo statua-

statuatur, aliive eo perterriti intra cancellos obedientiæ se detineant, quod jure fieri docet Gail. *l. de P. P. c. 16. n. 29.*

XL. Forte-fortunâ bannitum in via offendens, ejusque status & conditionis ignarus, si ex fuga talem conjiciat transfodaturque, non excusatur. *Brün l. 2. de condit. Carer. in pr. crimin. §. 6.* Refragatur huic Lancellott. *Gall. cons. 5. n. 11.* tenori mandati seu permissionis superiorum insistens, simpliciter quæ emanaverat, nullâ adjectâ clausulâ scientiæ vel ignorantiæ, *Dd. in l. 2. C. quand. lice. sine jud. se vend.* Præterea bannire seu diffidare nihil aliud esse, quàm interimendum prostituere, inquit Bertach. Solum igitur hîc veritatem sufficere, nec facti qualitatem considerari, *Gilhaus. arb. jud. crim. c. 6. p. 1. de probat. Marth. tom. 2. tit. bannitus. c. 24.* opinantur. Temeritati tamen illius in totum connivere judex non cogitur, licet ab ordinaria pœna homicidii immunis dicatur.

XL I. Clericum quoque à Laico judice proscriptum qui offendit, capitali supplicio haud erit plectendus; & quamvis bannum illud ex defectu jurisdictionis nullum ipso jure sit, ipsi illud obesse nequit, qui prætore authore agens, commodumq; publicum quærens, sententiâ pro viribus exequitur, *arg. l. Gracchus. C. de adulter. l. quod ait. l. pen. ff. eod. Bonifac. de Vitalin. d. tr. tit. de testib. n. 77.* Sub Magistratus enim autoritate decipi nemo debet, pro quo semper stat præsumptio, quod alienæ se non immiscuerit jurisdictioni, sed benè perpensis personæ statu & qualitibus judicavit, *l. 1. C. de his, qui ven. at. impetr. l. un. ad fin. de offic. Præf. Præf.* Ille itaque sanet nullitatis vitium, de quo homini plebejo (leges ignorant) nisi palàm facto constare non poruit, *Magon. decis. 128. Arifmin. com. decis. 300. c. 7. Menoch. de arbitr. 2. cas. 283. Caball. resol. crim. cent. 1. c. 63. n. 11.* Sed ut in præced. sic nec hîc præcipitantiæ locum damus, judicis arbitrio correctionem aliquam levitatis ipsius cum communi Dd. schola injungentes. Insultato bannito defensionem concedit *Zaf. in l. 3. de I. & I. Vultej. ad l. fin. C. de jurisd. n. 5. Br. Bl. & infiniti alii.* Adimite eandem illi præcisè *Bolognet. in d. l. 3. n. 15. Grat. cons. 44. n. 17. arg. l. 1. de his, qui sui vel al. jur. c. dilecti filii. de exception. cui adsentire nequeo.*

XL II. Ad ædes sacras confugiens bannitus, rurus ibidem agit, *Nell. 2. p. 2. temp. q. 58. Bos. p. 2. tit. banniti quid amittant. in pr. n. 6.*

quod ex jure divino descendens remedium, magni semper estimarunt Veteres, extrema quæque potius tentanda, concedentes, quàm loca sancta cæde contaminari; Hinc Clothar. Galliae Rex, Wilicarium Aquitanæ Ducem (quem persequeretur) in templo D. Martini Turonens. latitantem, prius quàm vi extraheret, id ipsum concremari iussit. *Greg. Turonens. hist. lib. 4. c. 18. 20.* Sic Lacedæmonii Pausaniam, qui de tradendâ Xerxi Persarum Regi Græciâ cum Consiliariis ipsius egerat, seque metu pœnæ subsecuturæ in domum S. Palladis Chalcedoniæ postea receperat, per violentiam abripere detrectarunt, sed muro illam cingentes, inediâ potius hominem perire, quàm sanguine locum pollui scelerato, maluerunt. Jura quoque judicem in præjudicium tertii quicquam concedere vetant, præsertim in loco ubi nullam habet jurisdictionem, *l. fin. de jurisdic. Sed dissentiens Vulpel. cons. 130. n. 11.* immunitates has & jura asylosum delinquendi occasionem parere dicit, ideoque optimo fine & consideratò à Tyberio Imp. sublata esse, ejusq; propositum pium approbasse Pontif. Sixtum V. & successores; qui reprehenditur à Camil. Borell. *in summ. decis. t. 3. cui suffragamur, nec tamè indistinctè omnibus delinquentibus hoc juris largimur, l. præsent. C. de his, qui ad Eccles. confug. c. inter alia. de immunitat. Eccles. Alvar. Valasc. decis. 81.* De excommunicato quid statuendum, vid. Borell. *d. loc. Joh. Gutierrez. pract. q. p. 2. lib. 3. q. 3. n. 3.*

XLIII. Bannitum infamiam non comitari, inquit Bart. *in l. verb. C. ex quib. caus. infam.* licet existimatio ipsius aliquantulum aggravetur apud honestos; æquitati enim congruit, ut afflictus in uno releveretur in altero, *Gloss. in l. fin. C. de requirend. reis. Disting. Freher. c. 4. n. 9.* qui bannitum pro debito civili integræ famæ manere putat; ex delicto verò seu contumaciâ damnatum notari juris infamiâ. *Bursat. cons. 122. Alber. de Ros. tr. de testib. lib. 1. §. consequenter. Bl. in l. 1. n. 5. C. de calumniat. vol. 2. Cons. Marp. 28. n. 84. Laur. Kirchoy. cent. 1. concl. 23.* Ex contumaciâ damnatum negant expressè infamem Bofs. *pr. tit. de inquisit. n. 54.* & Gilken. *arb. jud. crim. c. 6. p. 1. de probat.* quoniam plerumque potius in terrorem quàm valorem banna publicentur, non semper conjunctam illis infamiam concludit. *Dis. Decian. vol. 3. cons. 24. Dauth. de testam. & alii.* Jure Saxon. ita observatur, daß wer in die Königliche

che Achte gebracht wirdt mit Rechte/im ersten Jahr anruechtig/um
anderen ehrloß wirdt. *Coler.differ.jur.civil. & Sax.decis.108.circ.fin.*
Canones excommunicati (quem antea bannito æquipara-
vimus) vitam despicientes, famam quoque illius contemnen-
dam censent. *c.infantes.3.q.17.* Imperii bannitus quin pro tali
habeatur in toto orbe, dubium nullum est. *Const.P.P.tit.* Obje-
mand. §. Vnd so er sich. *vers.* Vnd wo er deshalb. *Mascard.de probat.*
conclus.162. An verò ille citari possit ex l. diffamari. vid. *Blar.c.3.*
n.9.hic. *Græy.p.1.concl.9.* Thilem. de Benign. in *Apospasm. Prodrom.*
observ.61.decis.Rot.Spirens.24.p.2. à quibus alienus est *Gail.lib.2.de*
P.P.cap.12.

XLIV. Mors cùm omnia solvat, & bannitus mortuus
non verè, sed fictè amplius talis dicatur, *Thusc.lit.m. concl.389.n.1.*
& *seqq.* mortuum bannitum in loco unde pulsus est, ante resti-
tutionem etiam, ibidem sepulturâ majorum suorum gaudere
statuimus; humanitati quippe & Christianæ charitati con-
trarium foret, sævire in punitorum cadavera, illumque, qui
promeritas sustinuit in vita pœnas, inhumatum relinquere.
A nobis recedit *Br.in l.2. de cadav. punit.* *Marfil. in l.fin. n.46. de*
questionib. *Joh. Saxon. in consuet. Turonens. tit. des droicts de baronnie.*
art.1. fol.47. *Joh. Fab. in l. quicumq. C. de requir. reis. Nell.2.p.3. temp.*
q.2. requirentes speciale Principis indultum ab agnatis impe-
tratum, cùm aliàs ille, qui in vitâ civitate frui nequiverit, nec ad
sepulturam sit reducendus. *Speckb. synopt. exeg. jur. Cas. lib.3. C. r. ult.*
Sed si quis pactum iniverit cum bannito, de non offendendo i-
psum, num illud servare necessum habeat, vide plenè & eleganter
disquirentem *Zaf. in Apolog. contra Johan. Eckium, in l. reos. C. de*
accus. Dico, offensionis, quæ sit favore publico, non posse renun-
ciari à privatis. *Gozz. ad. conf.61. Crot. conf.346. Dd. in l. multum in-*
terest. de V.O.

XLV. Bannorum quoque jacturam tam allodialium quàm
Feudalium illi adjudicat Constit. ut tamen non subiaceant hæc
publicationi, quoniam non sunt transitoria ad hæredes, *l. jura*
libertorum. Dd. ibid. de jur. patronat. c.1. §. client. de alienat. Feud. c. fin. si
de Feud. fuerit controvers. inter Dom. & agn. plenè Præposit. in c.1. §. fin.
quib. mod. Feud. amitt. sed ad Dominos vel agnatos proximos re-
vertantur pro natura Feud. Acerrimè tamen semper propugna-
runt



runt *Dd.* contumacem, putantes, si priveretur Feudo, iniquitatem redolere sententiam, quoniam illi non mutetur juris causa, licet status inversionem ad tempus patiatur, & quod in curia Domini stare, eiq; servire nequeat, provenire ex necessaria absentia seu impedimento considerabili, quod tamen pro vera causa Feudi amittendi non habeatur, nec Feudo priveretur, qui non servit, sed, qui requisitus servire proprietario renuat, quod de illo prædicare incivile foret, qui libenter officium suum faceret, si à possibilitate illius staret, *arg. l. nullum. de R. J. l. omne. §. §. fin. de re milit. l. 1. §. occisorum. de Scto Syllan.* merito igitur excusandus, si per idoneum substitutum serviat. *l. nullus qui nexu. l. neminem. de decur. Leonar. cons. Feud. 117. n. 180.* Sed hæc affatim perstringit *Gail. d. lib. 2. c. 13. n. 14.* simul edocens, quomodo Executio, quomodo & immisio facienda, & quæ tam circa Feudum novum, quàm antiquum consideranda occurrant. Sicco igitur pede hîc præterimus.

XLVI. Mulier autem, quin viro bannito, (quoniam ob mortem civilem illius vidua quasi appellatur à *Felin. in c. significantib. n. 8. de offic. deleg. c. 2. §. sed neq. istud. de translat. Episcop.*) dotem patrimonium suum. *l. Pomponius. 35. famil. hercisc. l. pater filiam. 14. ad l. Falcid. l. in rebus. C. de jur. dotium. reperere possit, dubio caret; cessante enim causâ quare illa penes maritum fuerit, nempe oneribus matrimonii, cessat effectus, l. sed si alia. §. 1. de bon. damnat. Campeg. de dot. p. 3. q. 23. Bald. in auth. res que. C. comm. de legat. maxime ubi ex delicto orta sit præscriptio; si enim ob contumaciam saltèm damnatus fuerit, à separatione tali bonorum abstinendum monet *Gail. 2. c. 16.* cum semper speretur absolutio, nisi tam obstinata ea fuerit, ut etiam post primum, secundum patiarur decretum, & inde extrema timeatur paupertas illius, ne ob levem hanc desertionem indissolubili matrimonii vinculo quodammodo distracto, animi ab se invicem alienentur, amorque conjugalis in odium transmutetur novercale. Excipiunt nonnulli crimen læsæ Majest. & causam primipilarem, i. e. quando quis pecuniam sibi à Principe creditam, ad exsolvenda militibus stipendia, in suos cõvertit usus *l. 3. C. de primipilo. lib. 12.* Id quod hodiè ad omnes extendit thesaurarios *Chassan. in consuet. Burg. fol. 382.* ut nempe bona illorum, ubi exactam administratio-*

rationis suæ rationem non reddiderint, in terminis à superiore præstituto, unà cū dote mulieris perpetuò illi obligata maneât, *l. si quis posthac. ubi Angel. C. de bon. proscript. Caball. resol. crim. cap. 99. Difs. Bofs. tr. crim. de bon. public. n. 9. Afsan. Clem. de patr. pot. c. 6. effect. 11. n. 17.*

XLVII. Num autem retentione bonorum, donec de recipienda dote certiorata fuerit, sibi consulere queat illa, sub quæstionis incudem revocatur? Affirmat maxima Dd. cohors, *Bald. in l. pen. C. de pignor. act. Item l. pen. C. de non numer. pecun. Br. in l. si filiofamil. sol. matr. Dec. conf. 232. Burs. conf. 18. n. 15.* cū aliàs magnus sit retentionis favor, ut inquit *Vir Ampliſſ. p. m. Ant. Hering. tr. de fideiuss. absolutissimo. per l. 1. in pr. de pign. l. 2. C. de fideicommiss. eaq; facilius admittatur ipsa petitione, Cagnol. in l. nemo invitus. de R. J. Schneidvv. §. fuerat. Inst. de act. Quis etiam denegabit mulieri beneficium tale, quo, præreptâ omni spe recuperandi quod suum est, sibi prospicere potest, ne marito inope, & illa extremâ prematur necessitate. Marth. decis. tom. 1. tit. retentio. cap. 4. 5. modum præscribit, quomodo illo uti possit, ex l. per retentionem. C. de usur. Vol. 1. Conf. Marpurg. conf. 24. plenè hic punctus examinatur, & contraria diluuntur; formaque pronunciationis sententiæ in judicio pro muliere talis adjicitur: *Daß der Frauen sollich jus retentionis in Rechten gebühr/davon sie auch außser abrichtung ihres dotis, vnd heyrahtlichen Vermächnuß nicht getrieben oder gestossen werden kan.* Jure Saxon. clarè idem decisum legitur. *Weichb. lib. 1. art. 20.* Contrarium mordicùs ruerit *Gyphan. l. 1. §. igitur in sequenti. C. de Rei uxor. act. contra principia affirmantium rationes currere autumans.**

XLIIIX. Vasalli nomen licet etiam expirare videatur Domino bannito, *Everhard. vol. 2. consil. 17.* & proinde ad servitia fidelitatis ille ulterius non sit obstrictus, non tamen imminente periculo gravi, si se submittens alii, investituram metu armorum indutus perat ab illo, quicquam prejudicat proprietario ratione domini, licet sibi ipsi noceat ratione jurisdictionis passivæ. Metus enim, præsertim ex terrore armorum resultans, quamvis impressioni comparetur reali in quantum, (præsertim si adsint conjecturæ firmissimæ, quæ illam brevè subsecuturam persuadeant, sicque res sit in proxima potentia

E



ad effectum perveniendi, *Dec. in l. 2. C. de transact. l. noviss. quod fals. rut. auth.*) & potestatem se alterius subjiendi protectioni tribuat, non tamen illi, qui non possidet, sed possideretur, *Molin. in consuet. Paris. tit. 1. §. 51. Tiraquell. de const. poss. pag. 264. ampl. 34. n. 4.* plus in alium, quam ipse habet, trāsferre simul concedit, & si de facto factum fuerit, de facto subsequente absolutione revocatur, Vasallusq; amissionis Feud. pœnam incurrit. *Marrin. Laudenf. in c. Imper. de prohib. Feud. alien. per Frider. Chas. in consuet. Burg. fol. 483. n. 3. vid. Zach. Viet. in tract. de exempt. conclus. 6. 8. & seq. Gail. 1. obs. 40. n. 9.* A sententia banni num appellari possit, grandis semper fuit altercatio? Et distinctione inter illam, quæ in Camera, & aliam, quæ à Principe aliquo prodeat, lis componitur, ut nempe ab illa non, *Ordin. p. 3. tit. 51.* ab hac utique liceat. *Gilman. tom. 3. Vot. Cameral. n. 33. tit. Appellans & appellatus. Besold. de appell. c. 5. Bred. derod. de appell. p. 1. tit. 13.* Item num appellationem ante bannum cœptam prosequi possit bannitus, diù disputatum meminit *Ruland. de commiss. d. p. 4. in causa Pappenheim contra N. vnd die Gemeine von Elgaw. tandemq; An. 89. 14. Febr. pronunciatum esse, quod sic. per c. cum inter. c. 10. c. ult. de Except. Vivius comm. opin. 2. op. 20. Soarez. de recept. sent. lit. a. n. 191.* quod suo modo largior illi. *vid. Gail. Mynf. Hortled. tom. 1. lib. 4. c. 46. n. 19. Auth. der gegründeten Ausführung / Warumb der Statt Braunschw. das Recht nicht zu versagen sey.*

XLIX. Nihil autem penitus est sententiam in suum habere favoré, nisi deinde executioni mandetur, *ex Afin. in prax. Flor. §. 31. c. 1. n. 1.* ait Vir Consultissimus Ilico Umm. *disp. ad process. ult.* Quatenus illa fiat secundum jus civile, latè tradit *Hippol. de Marfil. pract. crim. §. aggredior. n. 105. l. à Divo Pio. de Re jud.* Camera quem observet ordinem, extat apud *Gail. Mynf.* Sed cum regulariter circa processum alienum nullus se intromittere debeat, nisi requisitus, aliàs annulleretur executio, certi deputantur, qui, postquam scheda à victore porrecta fuerit, in qua bona petita specificentur, eam perficiant, intra tempus iudicati, i. e. sex septimanis, & tribus diebus, servato tamen discrimine inter bannum contumaciæ, & delicti, ut primo casu immisio necessaria requiratur in bona banniti, altero non, sed fiat executio viâ regiâ, seu manu militari. Si verò vel ob impotentiam
tiam

riam, aliãvme probabilem causam, quarum quatuor enumerat Gail. mandato illi parere recusent, quomodo ulterius procedendum; quid discriminis item sit inter bona allodialia & Feudalia; Item si bona damnati extra territorium sita sint, quomodo instituenda executio; denique expensas in executionem quã viã recipiat executor, & ejus furfuris plura fusiùs explicat Gail. 2. de P. P. c. 17. Mynf. 2. obs. 30. 3. obs. 42. 5. obs. 11. Forster. in Analys. Constit. lit. b. qui tamen fideliter hortantur executores, ne limites demandatæ sibi provinciæ excedentes plus fortè largiantur victori quàm petiit, vel interesse & damnum perpetuum contineat.

L. Multas ex jure civili causas congesserunt multi, executionem paratã impediētes, ut, si quis habeat salvum conductum, vel gratiam singularem, vel detentus ab hostibus citra vitæ periculum judicem accedere non potuerit, vel lecto adhærens morbo laboraverit acuto, &c. quas allegando si impossibilitatem se sistendi probaverit, etiam lapsis fatalibus, vel sententiã latã ad probandam suam innocentiam illum admitti putant Bruno in tr. de Constit. decret. in verb. confessio. Joh. Bapt. in not. ad Clar. q. 94. Num autem ex certa scientia, seu ob causam satis sibi prægnantem visam, judex Cam. possit suspendere actum executionis, sententiæ banni, nobilis est disceptatio? Quoniam jus quæsitum parti per hoc auferatur, nec saltẽ suspensio tendat ad differendam pœnam, ut interim pax & concordia partium quærat, sed in effectu concurrat cum absolute, dum ponat bannitum in statum talem, ut possit exercere actus juris civilis, cujus tamen beneficii omnibus ipsum privent constitutiones, sicque contradictionem implicare videatur, actum civilem exercere, & esse bannitum, quæ in uno eodemque subjecto simul & semel stare nequeat, cum civiliter mortuum esse, & civiliter vivere, contraria sint; Negativæ subscribunt Ottho Meland. ad proces. Noa Meur. p. 2. tit. Von dem Proceß der Acht/sonderlich wider die Landfriedbrecher. n. 85. Mynsing. cent. 5. obs. 11. præjudicium allegans caus. Goslar contra Braunschw. de quo vide Hortled. rom. 1. lib. 4. c. 47. Attamen factum supremi Magistratus, non sine ratione vel singulari motu factum, minimè improbandum esse existimans, argum. l. omnis. de in integr. restit.

Affirmativam, à multis jam seculis usu receptam & comprobaram, cum Alciato p.1.conf.132.n.4. p.2.conf.5.n.297. Oldendorp. lib.de jur. & acquit. tit.9. Borch.conf.9.q.2. tueri annitar.

L I. Præcavere quoque potest executionem bannitus, si ad absolutionem properet, quam oblatâ fisco (si illi obligatus est) & parti transactione, seu mediis honestis & tolerabilibus demum impetrat; non concordatâ enim parte iudex absolvere prohibetur, l.2.C.de precib. Imper. offer. Ifern. tit. de capit. qui cur. vend. Ruin. vol.5. conf.60. Bl. in l. venia. C. de in jus voc. & l. quicumq. C. de serv. fugit. B. Thom art. 4.2. secund. q.63. Hinc jus divinum satisfactionem parti læsæ faciendam, injungere, & citra læsionem conscientiæ Magistratum absque illa reum in pristinum reponere statum non valere, ait Plot. tom.2. conf. crim. 73. n.52. etiam in causa aliâs favorabili. Quatenus autem, si conditionibus exhibitis plausibilibus petitioni rei annuere detrester actor, ad id cogi possit, quidve discriminis seruetur hoc passu, inter bannum delicti & contumaciæ, plenè vid. apud Gail. lib.2. de P.P. c.18. Perfectâ transactione si saltè restet actus absolutionis solennis, num interim cujuslibet adhuc expositus sit offensionis bannitus, quæsitum quondam est? Id quod inspectis juris apicibus affirmandum foret; cùm durante nomine, duret nominis effectus. l. tutelae. de cap. minor. Alex. p.7. conf.164.n.8. Bl. in l. Labeo. cum l. seq. de pact. Nomen autem banniti retinere ipsum, dummodò non sit absterfum ex libro bannitorum, inducitur arg. l. ex causa. de re milit. l. quicumq. C. de cohort. at. c. quod in dubiis. de sent. excommun. Tum ubi duo requiruntur ad perfectionem actus alicujus, alterutrum illorum non sufficit, arg. l. cum hi. §. si prator. de transact. l.5. §. hoc interdictum. de itin. act. privat. Opus autem esse conventionem partium, & iudicis absolutione, ex prioribus constat. Æquitatem verò amplectentes, illudque quod est in fieri, jam factum censentes, bannum cassandum pro cassato habent Castrenf. conf.35. & 193. Decian. vol.3. resp.38. Andr. Sicul. vol.1. conf.57. vol.4. conf.81. & indubitatum asserit Bonif. de Viralin. tr. de malef. tit. de testib. n.74. quòd factâ satisfactione evanescat bannum, arg. l.1. qui satisd. cog. regulariter enim solutione illius quod debetur, tollitur omnis obligatio, pr. Inst. quib. mod. obl. toll. l. n. C. de debit. civit. Gandin. tr. de malef. tit. de bannit. pro malef. in fin. Semper itaq;

offen-

offendere volenti, obstabit exceptio transactionis, *l. vel obligatus. de liber. caus. l. 2. §. illud. de except.* In banno contumaciæ simpliciter hoc procedit, cum purgatâ contumaciâ illud tollatur *arg. l. posthum. C. de collat. l. generaliter. C. de SS. Eccles. Ordin. p. 3. tit. 46. §. Wo auch.* in banno ex delicto atrociori promanante, quamvis durius aliquantò appareat.

LII. Olim banni cancellatio verbo fieri poterat; v. G. Si bannito vel excommunicato illam sollicitanti respondebat iudex, *FIA T.* Quid enim impedier, inquit Johan. Bapt. *in addit. ad Clar. q. 59. in pr.* si per Regem vel ejus locum-tenentem, quis guidatus sit contra morem communem, quò minus teneat ista guidatio; solennitates quoniam istæ, quæ de jure sunt positivo, pro arbitrio illius, qui posuit illas, intermitteri poterunt, præsertim ubi non adedò magnum vertitur præjudicium tertii, *vid. Farinac. quest. crim. 6. n. 10. cum seq. Gabriel. in terminis lib. 8. de R. I. concl. 6. n. 11. Menoch. de arbitr. cas. 283. Mascard. de probat. concl. 162. Gilken. arb. jud. crim. c. 6. Br. in l. emptor. §. Lucius. de pact.* Nec successorem Regis impugnare posse restitutionem talem tanquam illegitimam, sed ad confirmandam illam obstringi putat Chassan. *consuet. Burg. f. 237. n. 180. Bl. in l. fin. pr. C. de com. serv. manumitt.* nisi plenitudinem suæ potestatis ipse in dubium vocare velit. Sed cum solennitates eo fine sint introductæ, ne id, quod agendum est, quisque, prout velit, constituat, *l. 2. §. deinde ex his. de O. J. l. 3. C. de bon. vacant. Alber. Brun. tr. de form. & solen.* Illas, quæ de substantia quasi actus dicuntur, planè negligi posse non puto, cum plerumque actus facti plenior sit actu verbi, *l. nostram. C. de testam. c. degradatio. de pœn. in 6. Alex. p. 7. conf. 164.* Nec tamè per hoc quicquam absolutæ Regis potestati detractum cupio. Hodie absolutionem petens, ipsemet judici se sistere, (nec per Procuratorem, nisi morbo gravissimo impeditus, *Ruland. de cõmiss. p. 4. lib. 7. c. 1. n. 48.* comparere potest) & ad pedes ipsius se demittere tenetur, ubi ex-tunc voti compos redditur. Solennia verò hæc Statuum Imperii suffragio ordinata communi, quamvis intuitu absolutæ potestatis remittere posset Imperator, non tamen illum legem semel latam sine causa gravissima contraventurum præsumitur. De Magdeburgensium legis quod adducit *Horsted. rom. 2. lib. 4. c. 19. n. 268.* quasi illi intermissis talibus cere-

monii absoluti sint Anno 1562. in suo illud relinquo vigore, nec tamen sine prægnanti ratione factum reor; vulgatæ aliàs statur regulæ, quòd si adhibeantur ritus actui perficiendo singulares, multò magis iidem sint necessari in destructione ejusdem, *arg. Auth. e contra. C. de repud. Chassan. d. loc.* Hinc corrui opinio etiam illorum, qui *arg. §. si quis autem. in Const. Henr. de caus. Feud. amitt.* intrepidè adstruunt, quòd si bannito gratia aliqua fiat à Principe, vel vocetur in Epistola *Etber Getreuer*/plene ipsum absq; solennibus aliis, restitutum præsumi, cum tamen plerumque aliquid quo modo colligatum est, eo etiam dissolvatur; Tum injuria quidem remittatur dissimulatione, quæ nondum in judicium deducta est; nullus autem juris textus doceat, eandem esse modum tollendæ rei judicatæ. Denique tituli & salutationes adscribantur aliquando cuidam, nõ quòd talis sit, sed talem oporteat esse, *vol. 2. conf. Marpurg. 28. n. 151. Marth. decis. tom. 2. tit. bannitus. c. 11.* dissentiens, alias insuper addit rationes, quæ me movent in illius ire sententiam, veluti si à consiliis suis bannitum Princeps pariat, vel militatum secum ducat, vel alia ipsi demandet administranda, quæ non infames, sed honesti & integræ vitæ homines aliàs peragunt, tunc enim ex plenitudine potestatis ipsum restituisse conjiendum foret.

LIII. At si universitas banno innodata sit, & aliqui ex illa pro sua quota ad amicabilem inclinantes transactionem, se absolvi petant, num petitioni horum locum dare teneatur Camera, quæsitum aliquando fuit? Adfirmantium ad stare turbæ, movent dicta *§. th. 51.* Item *Ordin. p. 2. t. 18.* præsertim in banno contumaciæ; tantus quippe est favor solutionis, ut si pro invito & ignorante fiat, tollatur obligatio, *l. solvendo. de negot. gest.* Tum universitas nihil est aliud, quam homines de universitate, *Gloss. in l. sicut. §. si quid. quod cujusq; univers. nom.* Contumaciam igitur à singulis contractam, per singulos purgari, non erit inconveniens. Sed cum toto cælo inter se differre videantur Universitas & homines universitatis, *Gabriel. 6. commun. opin. tit. quod cujusq; univers. nom. concl. 1. n. 1. vers. contrar. tenent.* præterea sit unum hic bannum, una igitur etiam debeat sequi absolutio, non in plures partes scissa. Verior apparet Negativa, cui, in primis
autho-

authoritate Viri cujusdam Nobilissimi & Magnifici motus,
adstipulor. vid. Gail. de P. P. lib. 2. cap. 9. n. 3. & seqq. Wesembec. in w. tit.
de injur. n. 18.

L IV. Tantum cum restituat absolutio, quantum abstulit
condemnatio, l. ult. §. ult. C. de sentent. pass. l. 2. Cod. de bon. vacant.
bannitum etiam per eandem famam & dignitatem pristinam
recuperare certum est, nec talem postea citra injuriam nuncu-
pari, l. qui res. 98. §. aream. de solut. l. si non convitii. 5. C. de injur. Harpr.
tract. crimin. §. injuria autem. Instir. de injur. n. 59. Binsfeld. de injur. &
damn. dat. Restitutio enim idē operatur quod fictio postliminii,
l. si quis filio. §. pen. de injust. rupt. & renasci facit, quod penitus fuit
extinctum, l. postliminii. de captiv. & postl. Ascen. Clem. de patr. potest.
c. ult. n. 37. & largitiones Principum latissimè aliàs interpretan-
tur, Bos. tr. crim. t. de rem. ex sola clement. Princip. Socin. Jun. vol. 1. conf.
52. Alber. Brun. tr. de augment. conclus. 9. in pr. Quatenus autem bo-
na recipiat ab aliis occupata, vid. Gail. c. ult. per totum. qui for-
mulas quoq; absolutionum usitatas priori c. adjecit. Chafs.
consuet. Burg. fol. 224. & seqq. Grammat.
decis. 69. in pr.



C O R O L L A R I A.

1.

R U S T I C U S, mulier, miles, similesq; persona sub-
jacent pœna l. 7. C. unde vi.

2.

Nummi donationis causâ dati, extantes possunt repeti
ab eo, qui alio animo accepit, nullâ doli mali exceptione
reperenti obstante.

3.

Testamento exheredati, in Feudis succedunt.


4. Mu-


4.
Mulier ex privilegio $\pi\epsilon\omega\sigma\pi\epsilon\alpha\zeta\iota\alpha\varsigma$, dotis nomine, aliis
creditoribus expressam hypothecam habentibus non pra-
fertur.

5.
Dominus loci, propriis hominibus, seinen Leibeigenen
Leuthen/ intestatò decedentibus, sine herede pro-
ximo vel legitimo, de jure civ.
succedit.

Μόνω τῷ Θεῷ δόξα.







DISPUTATIONUM
 Politico-Historico-Juridicarum
 Vol. VI. et VII.

- 1 de ...
- 2 de ...
- 3 de ...
- 4 de ...
- 5 de ...
- 6 de ...
- 7 de ...
- 8 de ...
- 9 de ...
- 10 de ...
- 11 de ...
- 12 de ...
- 13 de ...
- 14 de ...
- 15 de ...
- 16 de ...
- 17 de ...
- 18 de ...
- 19 de ...
- 20 de ...
- 21 de ...
- 22 de ...

ALVENSLEBEN
 He
 61







a

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
BANNO IMPERIALI.

Quam He 61
SS. Trinitate clementer annuente
Decreto & auctoritate Nobilissimi & Amplissimi
Jurisconsultorum Ordinis,
in celeberrima Rauracorum
Academia

Pro consequendis summis in UTROO. IURE
honoribus & privilegiis

Publicè discutiendam proponit

GEORGIUS à BUGO
Oldenborgensis

Ad diem 24. Octobr. Loco & horis solè



Anno
M D C X X I.

